






Concilium prō-
VIN CIALE VA-
LEN TIN V M,

Celebratū anno Domini M.D.Lxv.



VALENTIAE.

Ex officina Ioannis Mey.

1566.

Prostant e regione portae Apostolorum templi maximus.





Martinus Aya-
LA ARCHIEPISCO-
PVS VALENTINVS, OMNIBVS
huius prouinciae Christi fidelibus
Salutem in Domino.



ONCILIVM prouinciale, quod ex sanctorum Patrum, & sacrosancte atq; oecumenicae Synodi Tridētine decreto in ecclēsia nostra celebrandū indixeramus, Domino uires largiente, ad optatiū iam finem perduximus.

In quo illud à nobis in primis curatum est, ut eos potissimum huius prouincie abusus corrigeremus, qui maiora incommoda subditis nostris attulissent, & iam amplius dissimulari citra magnam diuini cultus & bonorum morum iacturam minimè potuissent. Aliorum uero ab eis repugnationem, qui uel leuiores essent, uel huius nostræ dicecessis proprij, partim in sequentem Synodus Dixcesanam à nobis proximè habendā, partim in alia tempora cōmōdiora reiecimus: ne si omnes sentes, & spiras, quæ fuerat

enatae, uno impetu eradicare niteremur, utilēm etiam
 frugem cum zizanijs conuelleremus. Vix enim profe-
 cto possumus sine acerbo animi dolore commemorare,
 quantum damnorum intulerit cū in ceteras Hispanie
 ecclesias, tum uero maxime in hanc nostram Valentīna-
 prouinciam neglecta tot seculis Conciliorum celebra-
 tio. Quod certe is facile perspiciet, qui antiquum Hispa-
 nie statum, hoc est, ueterem Conciliorum maiestatem,
 & gentis illius nostre ad pietatem, & honestos mores
 studium ardentissimum, cum praesentis seculi inertia, &
 moribus propemodum deploratis uoluerit comparare.
 Celebratum quidem olim apud Valentiam fuit ante an-
 nos mille, regnante in Hispania Theodorico sex Episco-
 porum Concilium: quod et si paucorum admodum fue-
 rit canonū, quia nōdum fortasse in ecclesijs morbi adeo
 excreuerant, ea tamen fuit autoritate, ut Concilium
 septimum Toletanum illius decretum pro lege recepe-
 rit. Veruntamen, quod summe dolendum est, ab eo tem-
 pore usque ad Machometanorum incurionem, & post
 recuperatam deinde ex illis à Iacobo Aragoniorū rege
 Valentiam, ad hanc usq; diem, nullum omnino apud nos
 Concilium habitum legimus, præter pauciſſimas Syno-
 dos Diocesanās, & illas multorum annorum ſpacij
 intermisſas. Nunc uero quoniam Dei opt. max. & fa-
 cræ Synodi Tridentinæ beneficio, Conciliorum celebra-
 tionem uidemus restitutam, non possumus non meliora
 omnia nobis deinceps polliceri. In primis autem certo
 speramus, hoc nostrum Valentīnum Concilium (siue se-
 cundum, post alterum illud uetustissimum, appellare uo-
 lueris:

EPISTOLA.

Iueris: siue primum post facta metropolim ab Innocen-
tio octauo Valentianam ecclesiam) fore & utile princi-
pium ad curanda inueterata huius prouinciae vulnera,
& non leue posteris exemplum ad sepe renouandam
huiusmodi morborum medicinam. Nos quidem diligen-
ter studuimus huius prouinciae mala ex multorum ser-
monibus explorare: & eorum quoq; hominum, qui uir-
tute sua, doctrina, & longo rerum usu ad eam rem uti-
les uidebantur, iudicia de remedio afferendo exquirere.
Tandem post auditas de rebus singulis multorum sente-
tias, communibus omnium suffragijs, haec decreta uise-
sunt digna, quæ ad huius prouinciae utilitatem sanciren-
tur. Ut uero etiam in nostrorum manus ciuitas ac fide-
lii peruenirent, nos illa typis excudenda curauimus.
Reliquum est, ut uos, quorum causa tam multi labores
a nobis suscipiuntur, quorumq; in primis salutē ex offi-
cij nostri debito charissimam habemus, par quoq; stu-
dium ad has leges cognoscendas, ac sedulō obseruandas
afferatis.

A v





Indictio Conci- LII PROVINCIA- LIS VALENTINI.



Artinus Ayala, Dei
& Apostolicæ Sedis
gratia Archiepisco-
pus Valentinus, Re-
uerēdissimis in Chri-
stofratibus Episco-
pis cōprouincialibus,
atque admodum Reuerendis Abbatibus,
dilectisq; ac Reuerendis Canonicis & Ca-
pitulis, cæterisq; magnificis & venerabili-
bus huius Prouinciae viris, quacumq; ij di-
gnitate, officio, vel auctoritate fungantur,
quibus ex iure, seu antiqua consuetudine,
aut priuilegio, Concilijs huius Prouinciae in-
teresse competit, Salutem in Domino.

Dei virtus & sapientia dominus noster

A iiiij Iesu

INDICTIO.

Iesus Christus sponsam suam dilectissimā Ecclesiam ad consummationem usque seculi duraturam, non solum potestate ad se regendam & conseruandam muniuit, sed doctrina etiam cœlesti interius erudiente, & hominum consultationes, ac iudicia dirigen- te mirabiliter confirmauit: nimurum pollici-
tus, ubi cunq; duo, vel tres in illius nomine
essent congregati, in medio illorum se præsto
affuturum. Qua Christi domini promissione
Apostoli confidenter innixi, ad eas quæ-
stiones, quæ iam tum in ipso nascentis Ec-
clesiae exordio suboriebantur, dirimendas,
aliquoties in unum conuenerunt. Quorum
exemplum deinceps sequuta Ecclesia, non
solum œcumenicas Synodos, quoties rerum
necessitas exegit, & per temporum condi-
tionem licuit, frequentibus Patrum conuen-
tibus celebravit; verum etiam minora in sin-
gulis Provincijs Cœilia crebrius haberi de-
bere

NDICTIO:

berē, lata etiam de ea re lege saluberrima,
præcepit: ut scilicet in his corrigerentur Pro-
uinciae mores, lites componerentur, & iij etiā
abusus, qui circa diuinū cultum irrep̄sissent,
utiliter extirparentur. Sed quoniam ea lex
hominum socordia ingrauescente, & hostis
antiqui versutia semper iniqua machinan-
te, non sine magnis Ecclesiæ incommodis in-
desuetudinem iam pridem abierat; sacra &
œcumenia Tridentina Synodus Conciliarū
frequentiam volens restituere, confirmata
denuo lege, sanctissimè instituit, ut intra an-
num à fine eiusdem Tridentinæ Synodi, &
deinceps tertio quoq; anno, Prouincialia Con-
cilia ab omnibus Metropolitanis celebrētur.
Nos equidem tametsi post redditum ex ur-
be Tridento, illico ad hanc ecclesiam Valen-
tinam ex Segobiensi translati, magno animi
affectu desiderauerimus cùm cætera sacrae
Tridentinæ Synodi decreta executioni man-
dare,

dare, tum verò ante omnia hoc Prouinciale
 Concilium in nostra ecclesia quamprimum
 indicere: quominus tamen id nondum ex ani-
 mi sententia præstare potuerimus, tum infir-
 ma nostra valetudo, tum grauia & difficilia
 negotia effecerunt: quæ quidem & venire me
 aliquanto serius in hanc urbem coegerunt,
 & mox ingressum, tenuerunt aliquot mens-
 fibus irretitum. Nunc verò iam tandem his
 impedimentis, Domino concedente, liberati,
 ne opportunum hoc tempus ad rem adeò vti-
 lem ac necessariam præterire sinamus; de-
 cernimus, ut ad diem decimum octauum mē-
 sis Octobris proximè sequentis, quo festum
 Diui Lucæ agitur, id concilium apud nos cō-
 gregetur: quemadmodum præsenti hac con-
 uocatione, ad prædictum diē hoc ipsum Pro-
 uinciale Concilium in nostra ecclesia Me-
 tropolitana celebrandum, indicimus & pro-
 nuntiamus. Quamobrem Reuerendissimos

Episco-

INDICTIO.

Episcopos, & cæteros omnes ac singulos, qui
bus ex iure, consuetudine, vel pruilegio in
Concilijs huius prouinciae sententiam dicere
competit, aut quibus etiam interesse ad dan-
dum cōsilium licet, in Domino hortamur, &
monemus, ac in virtute etiam sanctæ obediē-
tiae, & sub pœnis ac cēsuris, quæ & iure, &
statutis huius Prouinciae continentur, ipsis
districte præcipimus, ut ad prædictum diem
in urbem Valentiam ad huiusmodi Conci-
lium nobiscum inchoandum, & prosequen-
dam cōueniant. Quod si qui iusta aliqua cau-
sa fuerint præpediti, ad eum diem procura-
tores suos legitimos cum auctoritate mittat,
qui huic Concilio Provinciali illorum nomi-
ne intersint: ut scilicet post lata suffragia, &
audita etiam salutaria multorum consilia,
quid ex utilitate huius Prouinciae sit; mat-
rius accertius constituatur. Si qui vero ad
hoc nostrum mandatum implendum fuerint

negli-

INDICTIO.

negligentes aut contumaces, sciant se à nobis ijs pœnis compellendos, quæ iuris communis, & sacrorum Conciliorum constitutionibus in eiusmodi cōtumaciam ferri permittuntur. Quin etiam intelligant, & incipiendum à nobis esse, & tandem perficiendum hoc Provinciale Concilium, rogatis duntaxat eorum sententijs, qui affuerint: cæterorum verò absentiam, vel contumaciā nihil omnino virium statutis illius esse detracturam. Datum Valentiae in nostro Palatio Archiepiscopali, anno à nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, decimoquinto Calend. Septembris.

Postea verò idem Illustrissimus ac Reverendissimus dominus Archiepiscopus, iustis de causis, & literis etiam de eare confectis, diem sextum eiusdem mensis Octobris huic Concilio inchoando designauit.


Sessio

SESSIO PRIMĀ
CONCILII PROVIN-
CIALIS VALENTINI,
SUB PIO QVARTO
Pont. Max.

HABITA IN TEMPO
METROPOLITANO VRBIS
VALENTIAE DIE XI. MENSIS
Novemb. M.D.LXv.



N nomine sanctæ & indiui
duæ trinitatis Patris & filij
& spiritus sancti. Hæc san-
cta prouincialis Valentina
Synodus sub beatissimo domino no-
stro, domino Pio, diuina prouidentia
Papa quarto, Pontificatus eius anno
sesto; regnante inuictissimo ac poten-
tissimo Philippo secūdo, domino no-
stro, Hispaniarum rege catholico, re-
gni eius anno decimo, legitimè con-
gregata, præsidēte in ea Illustrissimo
B ac




S E S S I O

ac Reuerendissimo domino Martino
Ayala Archiepiscopo Valētino, per-
pendens totius spiritualis structuræ
fundamentum esse fidem, sine qua im-
possibile sit placere Deo, eamq; his
præsertim nostris temporibus velut
firmissimum ac tutissimum propugna-
culum aduersus omnem hæresim op-
poni debere; antiquorum patrum ve-
stigijs inhærens, qui in Concilijs ini-
tio suarum omnium actionum, ac cō-
stitutionum hoc fidei scutum, quo o-
mnia aduersariorum tela repellerēt,
proponere consuecrunt; sacri etiam
Tridentini Concilij normam secuta,
Symbolum fidei, quo sancta Roma-
na Ecclesia vtitur, præmittēdum esse
duxit: quod toto animo ~~f~~ ipsa Sy-
nodus confitetur, miratur, & ample-
titur. Id autem est quod sequitur.

Credo

Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem caeli & terrae, visibilium omnium & invisibilium: Et in unum dominum Iesum Christum, filium Dei unigenitum: Et ex patre natum ante omnia secula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero: genitum, non factum, consubstantiale patri, per quem omnia facta sunt: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis: Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine: Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est: Et resurrexit tertia die secundum scripturas: Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram patris: Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum dominum, & visificantem, qui ex Patre filioque procedit: Qui cum patre & filio



simul adoratur, & conglorificatur: qui locu-
tus est per Prophetas. Et unam sanctā ca-
tholicam & apostolicam Ecclesiam: Confi-
teor unum baptismū in remissionem pecca-
torum: Et expecto resurrectionem mortuo-
rum, & vitam venturi seculi. Amen.

Cùm autem magno animi affectu
sacrorum generalium Conciliorum
decreta fideles omnes cōplecti, ac ve-
nerari debeant; ipsiusq; Concilij œcū
menici Tridentini statuta omnia ma-
ximè pia sint, & salutaria, & ad mores
reformandos, atq; ad præsentis nostri
temporis hæreses cōuincendas valde
accommodata, & efficacia ; ideo hæc
sancta Synodus principiò ea omnia &
singuli, quæ à sacrosancta Tridentina
Synodo definita & statuta sunt, palam
& integrè recipit, & seruanda omnino
esse decernit. Veram etiam obediens-
tiam

PRIMA.

tiam summo Romano Pontifici spōdet, profitetur, ac defert: simulq; hæreses omnes à sacris Canonibus, & generalibus Concilijs, præcertim ab hac eadem Tridētina Synodo damnatas, publicè detestatur, & anathematizat.


TITVLVS PRIMVS de doctrina & ministris eius.

Prædicare nullus permittatur, nisi prius ab Ordinario fuerit probatus, & eius facultatem in scriptis obtinuerit.

Cap. I.

Quoniam prædicationis munus nō quibuscumq; cōmitti debet, sed ijs solum, qui ad illud exercendū prout tanta cius dignitate idonei mercito exanimari possunt; Illustrissimus ac Reverendissimus dominus Archiepiscopus, ~~laicam~~ Synodo approbante, omnibus huius prouinciæ tam cathedra-

B iii lium,



SESSIO

liū, quām collegiatarū ecclētiarū Capitulis & Curatis præcipit, ne aliquē, etiam si regularis fuerit, in suis ecclesijs prædicare sināt, nisi prius ab Ordinario fuerit probatus, & eius facultatē in scriptis obtinuerit. Capitulum si secus fecerit, quinq; libraruī, Curatus verò vnius libræ pœna mulcentur.

De regularibus extra monasteria vagantibus, & de ijs, qui ad ordinem Canonicorum regularium sunt translati, de q; præparatoribus exteris.

Cap. II.

Regulares extra sua monasteria vagantes, etiam si suorum superiorum facultatem habeant, prædicare, aut Missas celebrare minimè permittantur. Ijs verò, qui negotijs sui Ordinis impliciti, aut ob aliam legitimam causam, quā Ordinarius approbare debeat, extra monasterium aliquamdiu

PRIMA.

quamdiuegerint, facultas ab Ordinario poterit concedi.

Vt autem scandala , animarumq; pericula vitentur , Regulares , qui ex suo Ordine ad ordinem Canonicorū regularium translati fuerint , & extra monasterij septa vixerint , neque ad prædicationis munus , necq; ad curam animarum regendam , necq; ad confessiones audiendas , aut ad simplex beneficium admittantur.

Mandat etiam ~~santa~~ Synodus ne ex alijs prouincijs prædicatores exteri in hanc prouinciam ad prædicationis munus obeundum vocentur , nisi prius Ordinarius de ea re consulatur.

Ne quis libros prohibitos imprimat , vendat , aut penes se retineat : ac ne etiam obsceni libri in scholis legantur.

Cap. III.

B iiiij

Quo-

S E S S I O.

Quoniam deprauatorum librorū
 lectio multa Christianæ Reipu.
 his pr̄esertim nostris temporibus, ma
 la intulit; cùm nō simpliciū tantūm,
 sed quorundam etiam doctorum vi
 rorum animos in varios errores ali
 quando pertraxerit: idcirco ~~sancta~~ Sy
 nodus hisce periculis atq; incommo
 dis occurrere volens, statuit, ne vllus
 in posterum in hac prouincia impri
 mat, aut imprimendum curet, ac ne
 etiam temerè venales habere pr̄esu
 mat, aut quo quis modo sciens penes se
 retineat libros prohibitos, qui falsam
 doctrinam, fidei videlicet, aut sacris
 Ecclesiæ sanctionibus cōtrariam, aut
 vlo etiā modo de fide suspectam con
 tinēant. Qui contrà fecerit, vltra li
 brorum amissionem, & illorū publi
 cam combustionem, excommunicati
 onis

PRIMA.

tionis sententia innodatus existat.
Quòd si quis his pœnis nō resipiscēs,
in idem crimen iterum relabatur, cō-
tra eum, velut contra suspectum, iux-
ta formā iuris Ordinarius procedat.

Quæ omnia, ut cōmodius præsta-
ri possint, præcipit ~~facta~~ Synodus, ne
liber ullus, de rebus præsertim sacris
conscriptus, prælo excudendus trada-
tur, aut excudatur, quin prius diligen-
ter per Ordinarium, vel examinato-
res ab eo diligendos, examinatus &
approbatus fuerit, & manu etiā ipsius
Ordinarij, vel ipso absente, eius Vica-
rij generalis subscriptus. De qua ap-
probatione & subscriptione in princi-
pio libri constare debeat. Qui aliter
egerit, prædicta pœna puniatur.

Et quia libri, in quibus de rebus la-
sciuis, vel obſcenis ex professō agi-

tur, adolescentium animos facile corrumper solent; statuit ~~sanctus~~ Synodus, ut singulis annis per visitatorem ab Ordinario deputandum scholæ publicæ visitentur: qui libros, ex quorū lectione mores inficiuntur, prælegi minimè permittat: quales sunt Martialis, & nonnullæ Iuuenalis Satyræ, quædam etiam Ouidij opera, & libri alij similes. Quos qui adolescentibus prælegerit, præter decem aureorum mulctam, in eleemosynam pauperū scholasticorum conuertendam, sententiam etiam excōmunicationis ~~sancti~~ nouerit incursum. Vult etiā ~~sanctus~~ Synodus, scholas, in quibus pueri legere docentur, similiter visitari.

In quibus huius provinciæ ecclesijs sacre scripturæ lectio haberi debeat.

Cap. IIII.

Quoni-

Quoniam tam in metropolitanis
 & cathedralibus Ecclesijs, quām
 etiam in collegiatis, & in monasterijs
 monachorum, vbi commodè fieri po-
 test, ac in conuentibus etiam aliorum
 regularium, in quibus studia commo-
 dè vigere possunt, iuxta Tridētini Cō-
 cilij statutum, lectio sacræ scripturæ
 haberi debet; quia in re, si Abbates ne-
 gligentes fuerint, Episcopi locorum,
 in hoc vt Sedis Apostolicae delegati,
 eos ad id opportunis remedijs debent
 compellere; ideo statuit ~~facta~~ Syno-
 -
 us, vt intra quatuor menses à die pu-
 blicationis huius decreti computan-
 dos, in ecclesijs collegiatis Setabita-
 na, & Gandiensi, ac in monasterio san-
 ctæ Mariæ Vallis dignæ Cistercien-
 sium, itidem in monasterio Portæ cœ-
 li, & apud Carthusiam Maioricarū,
 simi-



similiterq; in monasterijs sancti Hieronymi de Cotalba, sancte Mariæ de la Murta, & sancti Michaëlis Regū, lector deligatur idoneus, qui sacram apud eos scripturam interpretetur: ne cœlestis ille doctrinæ thesaurus iaceat apud eos neglectus, ac ne etiam cogatur loci Ordinarius, ut sacro Tridentino Concilio pareat, si minus hoc fecerint, eorum expensis ipsum lectorem deligere, qui hoc munus apud eos exequatur.

Quaratione rudiis populus sit à Curatis docendus.

Cap. V.

CVMIJS, qui curam animarum sustinent, ex munere incumbat, populum, quæ mala ab eo vitanda sint, & quæ bona facienda docere, ne inscius, & velut cæcutiens, qua via incedendum sit, ignoret: ideo ~~secunda~~ Synodus omni-

omnibus huius Prouinciae parochis,
& alijs, quibus animarum cura incū-
bit, ecclesias quomodocumq; obtinē-
tibus præcipit, vt per se, vel si legitimē
impediti fuerint, per alios, diebus
saltēm Dominicis & festis solēnibus,
tempore autem Ieiuniorum, Quadra-
gesimæ, & Aduentus frequentius ple-
bes sibi commissas salutaribus elo-
quijs ac monitis pro carum captu pa-
scant, sacram scripturam, diuinamq;
legem annunciando ac explanando, &
omnia, quæ ad salutem eis necessaria
sunt, docendo: ita vt relictis quæstio-
nibus inutilibus, aliquid ex Euangeliō
occurrenti explicit: & cum breuitate
ac facilitate vitia, quæ eos declina-
re: & virtutes, quas lectari oporteat,
declarent. Quādo verò illis legitimē
impeditis, per alios hoc fieri oportet,

bit, si beneficium curatum valorem
excesserit centum aureorum, impen-
sas faciet Curatus: nisi fortè populi a-
lios sibi concionatores curiosius deli-
gere velint, quādo boni, atq; idonei à
parochis offeruntur. Si verò nō tam
fuerit opimum beneficium curatum,
vt ad summam centum aureorū eius
redditus perueniant, tunc æquitas po-
stulat, vt populus impensarum etiam
ad arbitrium Ordinarij particeps fiat.
Quod quidem præsens Decretum, si
Curatorum aliquis adimplere negle-
xerit, prima vice dimidio aureo, secū-
da vno, tertia verò duobus aureis, in
pios vſus conuertendis, & per visita-
tores absq; spe veniæ exigendis punia-
tur. Quòd si his pœnis neglectis, con-
tumaces suo muneri defuerint, per cē-
suras Ecclesiasticas, seu aliàs ad ipsius

Episco-

Episcopi arbitrium coerceantur.

Parochi etiā teneantur Dominicis ac festis diebus post prandium per se, vel per alium, pueros ac puellas fidei rudimenta, ac obedientiam erga Deū, & parentes docere: & alijs doctrinæ Christianæ institutis lingua etiā vernacula erudire. Cumq; nō desint etiā adulti, qui Dominicam orationem, & alia fidei rudimenta ignorent, erubescatq; cū pueris institui, ac doceri, dēt operā parochi, vt Dominicis, ac festis diebus, tēpore præsertim Quadragesime, & Aduētus inter Missarū solennia, aliquid è doctrina Christiana publicè explicetur: ita tamen, vt ob id ordinaria verbi diuini doctrina non omittatur. Quòd si tempus pomeridianum instruēdis adultis aptius pro qualitate loci, ac personarum videbitur

tur, id Curatorum arbitrio relinquimus. Negligentes, argenteo vno singulis vicibus multentur. Cuius rei examinandæ cura penes Visitatores erit.

In iis autem locis, in quibus ad fidē ~~recenter conuersi~~ degant, Curati dili-
genter studeant, magnam salutis illo-
rum rationem habere, & ea illis expli-
care, ex quibus paulatim rebus fidei
nostrę affueant, & Christum Domi-
num puro corde, & fidei non ficta con-
sideri discant.

Quae spectent ad Curatorum munus.

Cap. VI.

CVrati, quoniam curæ præficiuntur animarum, ac proinde aliorū duces in Ecclesia Dei constituuntur, tales esse debent, quorū exemplo reliqui ad omnem bene viuendi rationē

accen-

acceditur. Nuduces ceci fuerint,
 iij, qui sequuntur, simul cum ducibus à
 via turpiter deflectant. Quare oportet
 Curatum virum esse ætate & mo-
 ribus grauem, literarum etiam scien-
 tia peritum, qui scilicet alios, quæ ad
 salutem sunt necessaria, docere, & ad
 bonum hortari, & si quos errantes vi-
 derit, in viâ reducere sciat. Modum
 etiam & rationem rectè administran-
 dorum Sacramotorum tenere debet,
 domum templo propinquam incole-
 re, in templo frequenter agere, ut omni-
 bus, qui eius ministerio indiguerint,
 præsto esse possit. Si quos nouerit
 mortis periculo laborare, illis adesse, }
 eosq; ad bene moriendum piè hortari }
 lebet; dissidia componat; pauperum
 ratione habeat; & illos in primis apud
 se notet, qui in publico aliquo pecca-

to versantur. Quod felicitate non habeat prudenter, ut iuxta statutum Euangelicū eos Domino lucrari possit. Quibus si viderit monitiones minus prodesse, prælato illos secretò denunciet. Quod ipsum qui leucis quinq; vel minus distabunt, bis singulis annis, post pascha videlicet, & mēse Nouembri; qui verò longius aberunt, semel saltē in anno, hoc est, post pascha facere debeant. Alioqui pœnam duarum librarum, in usum pauperum, & fabricæ æquis portionibus diuidendarum incurant.




SESSIO SECUNDA
SUB PIO QUARTO PON. MAX.
CELEBRATA DIE NONA MEN-
SIS Decembris. M. D. LXV.

*



Vm Sacramentorū, quæ in Ecclesia Dei aduersus peccatum remedia sunt saluberrima, cognitio parochis sit necessaria; & abusum omnē, si quis fortè in eorum administratione irrepsit, prohiberi maximè oporteat, ~~fan-~~
~~fan-~~ prouincialis Valentina Synodus, præsidente in ea Illustrissimo ac Reuerendissimo domino Martino Ayalā Archiepiscopo Valentino, hæc de Sacramentis, & recta eorum administratione, ne quid huic Prouinciæ ea in parte dcesser posset, statuenda esse duxit.

C ij Titu-



TITVLVS SANCTV DV
de Sacramentis, & recta eo-
rum administratione.

De preparatione ministrorum ad Sacra-
mentorum administrationem.

Cap. I.

QVONIAM Sacraenta Ecclesiæ à Christo domino instituta, ad gratiam consequendam sunt efficacissima, & quæ sancta sunt, sanctè contrectari debent; æquissimū certe fuerit, ac etiam necessarium, magna animi puritate ea administrare, quæ admirabili Dei beneficio ad nostram omnium salutem sunt nobis collata. Ut quēadmodum hæc salutis nostræ Sacramēta magna sunt, atq; insignia, ita synceriore cordis examine, & maiore animi mundicie tractentur, ac populis ministrētur. Nam si Leuitis in ve-

teri

teri lege, quia vasa Domini portatur
 erant, mentis puritatem insignis ille
 propheta tātopere commendabat, di-
 cens: Mundamini qui fertis vasa Do- Esa. 52
 mini; quanto propensiore cura Sacra-
 mentorum nouæ legis ministri caue-
 re debent, ne peccatorum maculis fœ
 dati, ad ea contrectanda accedant, que
 tanto omnibus antiquę legis ceremo-
 nijs, & Sacramentis sunt pręstantiora,
 quanto Euangelica lex vetere illa Mo-
 saica est superior? Qui ergo vel sacro
 fonte aliquem ablucere, vel alicuius cō
 fessionem audire, vel sacrosanctā Eu-
 charistiam, vel aliud quodvis Sacra-
 mentum ministrare voluerit, videat
 diligenter, ne alicuius contaminatio-
 ne peccati inquinatus, rem sacram at-
 rectet, atq; ita peccatum peccato ad-
 dat, & deterior, quam prius erat, effi-
 ciatur.

ciatur. Qui enim mortalis peccati si-
bi conscient, Sacramenti alicuius admi-
nistrationem audet peragere, sciat, se
ea in re grauissimè in Deum delinque-
re. Dent etiam operam qui inter sacra
Missarum solennia, vel Euangeliū,
vel epistolam canunt, qui actus ordi-
ni sacro sunt annexi, vt dignè, & vt re-
rum sacrarum ministros decet, suum
munus adimpleant. Qui verò ad po-
pulū sacras cōciones habent, ipsumq;
bene ac sanctè viuendi rationem do-
cent, caueant, ne eis verè illud obijci
possit : Peccatori autem dixit Deus,
Quare tu enarras iustitias meas, & as-
sumis testamentum meū per os tuū?
Psal. 49
AD Rom. Et illud: In quo iudicas alterum, tei-
sum cōdemnas: eadem enim agis, que
iudicas.


De sacramento baptismi.

Cap. II.

Primum

Primum illud Curati intelligent,
 sui muneris esse , cùm opportunū
 esse viderint , præsertim quando hoc
 Sacramentum conferendum erit , po-
 pulum admonere , quanta sit virtus , &
 efficacia sacramenti baptismi , quanta
 etiam eius necessitas ad salutem con-
 sequendam . Cùm enim per primi pa-
 rentis peccatū morti æternæ essemus
 obnoxij , ac proinde filij iræ ; per bapti-
 sum tamen Christum induētes , re-
 generamur ad vitam , & noua creatura
 in illo efficiamur , omnium peccatorū
 remissionem consecuti . Ut verè laua-
 cro baptismi corporis Christi mem-
 bra spirituali gratiæ vinculo illi con-
 juncta efficiamur , & ad reliqua ctiam
 Ecclesiæ sacramenta ius acquiramus .
 Vnde in domum Dei , hoc est , Eccle-
 siam per baptismum asciti , domestici

C iiiij cius



d Eph.
2.

cius; & ob ius cœlestis patriæ, quod hoc
 etiā sacramento assequimur, iam etiā
 nunc sanctorū ciues ab Apostolo me-
 ritò appellamur. Hæc igitur, & alia eo
 dem pertinentia Curat i de virtute hu-
 ius Sacramenti plebem admoneant, ac
 de reliquorum etiam sacramentorum
 virtute, cùm tempus & occasio postu-
 labunt, aliquid populis explicent: quò
 magis illorum animi ad amorem, &
 cultum diuinarum rerum accandan-
 tur.

*Sacramentum Baptismi in templis, & sine ullo
 pacto esse ministrandum.*

Cap. III.

Baptismus sacramentum omnium
 primum, & illorum ianua, dignè,
 ac decēter, ut reliqua omnia sacramē-
 ta, administrari debet. Quare præcipit
~~fanta~~ Synodus, ne in priuatis domi-
 bus,

bus, sed in ecclesia tatum conferatur.
Et ut omnis scandali tollatur occasio,
etiam sub pena excommunicationis,
& dimidij aurei iubet, ne aliquid ex parte
esto in eius collatione exigatur.

vide Bulla


Infantes quando in ipsa eorum nativitate sint baptizandi; & qui baptizati sunt, non esse à Curatis rebaptizandos.

*prī v
in fī
indus*

Cap. IIII.

C Vm ad nos perlatum sit, infantes
in ipsa eorum nativitate ferè sem
per in hac nostra Prouincia solitos
esse ab obstetricibus baptizari; vnde
periculum oritur, ne postquam ad ec
clesiam delati fuerint, baptismi itera
tio fiat: idcirco ~~facta~~ Synodus sta
tuit, ne obstetrix ipsa, aut ullus alias
infantem, dum nascitur, baptizare au
sit, nisi vrgens mortis periculum im
minere viderit. Quando verò infans

C v ad



ad ecclesiam fuerit delatus, interro-
ger parochus, nū baptizatus sit. Quòd
si respondeatur, baptizatum esse; re-
quirat diligenter, an debita forma, &
medo fuerit baptizatus. Ex quibus si
certò colligat, infantem verè baptiza-
tum fuisse, caueat, ne baptismum ite-
ret. Catechismum tamen, vunctionem
olei, & chrismatis, & alia quæ iam bap-
tizato cōuenire possunt, peragat. Quā-
do verò non poterit certò colligere
infantem baptizatum esse, ac proinde
hæsitauerit, num verè sit baptizatus,
tunc sub conditione illum baptizeret.
Et ne obſtrices, quæ fortè aliquando
quos verè baptizarunt, respondere fo-
lent, non fuisse baptizatos, in re tam
graui impune mentiantur, mandat il-
lis ~~ſecunda~~ Synodus, ut interrogatæ à
parocco, vel ab eo, qui eius vicē gesse-
rit

rit, nū infans baptizatus sit, verè quod
res ipsa haber, respondeant: quibus, si
mendacij conuictæ fuerint, trium li-
brarum poena indicitur.

*Adulti ante quam baptizentur, rudimenta
fidei doceantur.*

Cap. V.

PRÆCIPIT ~~sancto~~ Synodus, ne adulti
à Curatis baptizentur, quin priùs
sufficienti tempore rudimenta fidei
edocti fuerint. Si quid autem ea in re
dubij incidat, nō aliter id faciat, quam
consulto prius Ordinario, vel eius ge-
nerali Vicario. Qui secus egerit, li-
bras duas persoluat.

*Infantes à matribus post puerperium in propria
parochia Deo esse offerendos.*

Cap. VI.

PVerperæ, quæ post conueniens
tempus domo egressæ, ecclesiam
adeunt,



adeunt, tū ut infantem Deo offerant,
 tum etiam ut pro suscepto beneficio
 illi gratias agant, non ad aliam, quām
 ad parochiā ipsam, in qua scilicet in-
 fans beneficium regenerationis susce-
 pit, se conferant: idq; faciant prima sta-
 tim vice, qua domo egrediuntur. Mu-
 lieri, quæ hoc statutum nō seruauerit,
 quinq; argenteorū mulcta irrogatur.
 quam poterit Curatus, si mulier pau-
 per fuerit, pro suo arbitrio minuere.

Nuper conuersi filios fibratos intra diem
vnum denuncient.

Cap. Vth.

Nuper ad fidem conuersi, quæcies
 cis infans aliquis natus fuerit, in-
 tra diem vnum parochos suos ciuius rei
 certiores faciant: ne parentum incu-
 ria, aut dolo huius sacramenti benefi-
 cio parvuli priuentur: alioqui vnius
 aurei

~~autem iuxta eis imponeatur.~~

~~Machometanorum institutores puerperas,~~

~~et agrotas ne invisant.~~

Cap. VIII.

Quoniam Machometanorum in huc
stitutores, quos Alfaquinos vo- ~~seue~~
camus, pessimi sunt, & prava sua
confuetudine alios facile inficere so- ~~daceat~~
lent, prohibet illis sancta Synodus, ~~re~~ iam ~~in~~
vel mulieres puerperas, vel agrotos profan
mortis periculo laborantes quacumque
occasione intuisant. Contra agentes
duobus aureis mulcentur. Ipsi etiam
~~agrotis grauiter laboribus precipit,~~
~~& parochium ad se vocari carent: a-~~
~~licqui aurum unum soluant.~~

~~Parvulos nuper conuersorum in templo, et nitidis ve-~~
~~stibus induitos baptizandos esse.~~

Cap. IX.

Statuit etiam sancta Synodus, ut ad
fidem nuper conuersi parvulos suos
ad

~~ad templum suscipi. ad baptismum gra-~~
~~tia deferant. eosq; non ut multi soleret,~~
~~vestibus vilioribus, atq; etiam laceris~~
~~induāt. sed ornent porius melioribus,~~
~~ac nimiridioribus indumentis, ut pote qui~~
~~Baptismo initiandi sine, in quo nisi-~~
~~dam accandidam innocentia vestem~~
~~sunt suscepit. Illud itidē sub unius~~
~~aurcipēa pœna præcipit, ne hi infantes a-~~
~~lijsquam sanctorum, aut sanctorum~~
~~nominibus in baptismo appellentur.~~

De Sacramento confirmationis.

Cap. X.

SAcramēntū Confirmationis, quod
 manuum impositione Apostolorū
 conferebatur, magno semper in ho-
 nore fuit. Cuius virtute, qui baptizati
 fuerant in nomine Domini Iesu, dū
 super illos Apostoli manus impone-
 rent, spiritum sanctum acceperunt.

De

De quo sacramenta Melchiades Pon-
tifex p[er]iculat, ac grauitate scripsit: Spiritus,
inquit, sanctus, qui super aquas baptis-
mi salutifero descēdit illapsu, in fonte
plenitudinem tribuit ad innocētiam,
in cōfirmatione augmentum præstat
ad gratiam; quia in hoc mundo tota
estate vieturis inter inuisibiles hostes
& pericula gradiendū est, in baptismo
regeneramur ad vitā, post baptismū
cōfirmamur ad pugnam: in baptismo
abluimur, post baptismū roboramur.
Quæ omnia considerans ~~f[ac]ta~~ Syn-
odus, Prælatos hortatur, ut sedulo
aduertant, ne huic Sacramēto debitus
in Ecclesia honor deesse videatur: &
quoties Sacramentū hoc adultis confe-
ndum erit, nō nisi ea, qua decet, ani-
mi præparatione accendentibus, & sua
etiam peccata confessis conferatur.

Certis



*Certis anni temporibus sicut in ciuitatibus
publicè conferendum.*

Cap. XI.

CVrent Prælati, vt in ciuitatibus, in quibus resident, duobus aut tribus anni temporibus Sacramentum confirmationis publicè ministretur. Quod potissimum præstare poterunt à festo Resurrectionis dominicæ usq; ad festū Pentecostes, & tempore Aduentus, vel cum ipsi opportunū magis iudicauerint. Confirmatorū nomina, & ipsorum susceptorum, & cōfirmantis in libro uno describenda cēsemus: ne aut Sacramenti iterandi occasio tur, aut matrimonia confundantur, si spiritualis cognatio, quę ex confirmatione contracta fuit, ignoretur.


De Sacramento pœnitentiae.

Cap. XII.

Pœni-

P̄uenitentię Sacramentū vt maxi-
 mè in Ecclesia Dei necessariū est,
 quod scilicet post Baptismum, & com-
 missum à nobis peccatum, vnicum sit
 salutis nostræ remedium, ita multum
 intererit à quibus illud ministris con-
 feratur. Cùm enim totus ille vetus
 ecclesiasticæ disciplinæ rigor iam fere
 perierit, & graues illę, quę pro peccatis
 iniungebantur p̄enitentię, sint anti-
 quatæ, nisi in huius administratione
 sacramenti æquitatis ratio in ferendo
 iudicio, & p̄enitētia adhibenda habeat
 tur, multorum certe peccata fouebun-
 tur, quin & multis ad noua perpetran-
 da occasio etiam dabitur. Quare ~~fan-~~
 Synodus ijs omnibus, qui in hac
 rouincia confessionibus audiendis
 operam dabunt, districte præcipit, vt
 omni studio ac diligentia vitę ratio-

D nem



iem ipsius pœnitentias experient, & quoties acri medicamine opus esse intelligent, non ea vtantur venix facilitate, qua peccatis fomenta potius addere, quam ea ex pœnitentium animis velle prorsus depellere videantur.

Perspicuum autem est, præter Sacramentalem confessionem, quæ sacerdoti fit, quam à Christo domino institutam, & nobis necessariam Ecclesia semper intellexit, in ipso pœnitente ad huius integritatem Sacramenti necessariam esse contritionem, quæ dolorem de peccatis suscepit, & eorum detestationem propter Deum continet.

Qui enim non aliter suorum peccatorum seriè detexerit, quam velut quan dam rerum à se gestarum historian narrans, nullo animi sensu, nullo dolore compunctus, is certè nullum ex pœnitentia

nitemur ad Sacramento fructum consequetur. Recogitabo, dicebat Propheta, omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: & alius, Laboravi in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum. Odisse igitur, ac detestari peccata oportet, & inde in nouam vitam exurgere, quam per diuinā gratiam medio Sacramento assequimur. Satisfactio insuper, qua pro peccatis nostris iuxta imbecillitatem nostrā, innixi tamen Dei misericordiæ satisfacimus, ad hoc sacramentum pertinet. Cūm enim post culpæ remissionem temporalis pœna pro peccatis subeunda ut plurimum supersit, ad illius saltem aliquam partem soluendam, & ad præteriorum etiam peccatorum vindictam & castigationem iniuncta à sacerdote virtute etiam clauium pœnitencia

centia à nobis impletur. Videant ergo
ne grauissimos morbos leuissimo
pharmaco curari posse existiment: sed
prudenter ac peritè ea medicamina
adhibeant, quæ singulis morbis sint ac-
commodata: qualia sunt ieiunia, cle-
mosynarum largitiones, & orationes,
si carnis affectibus, avaritiæ, & animo-
rū desidiæ mederi voluerint. Si quis
verò cum euidēti proximi iniuria, vel
cius famam læsit, vel cius facultates
iniuste retinet, & cùm potest, damna
rependere, ac resarcire negligit, nō est
huius sacramenti beneficio dignus.
Propinquæ etiam peccādi occasiones
sunt prorsus auferenda: qui enim pec-
cata, quantum in se est, non auellit ra-
dicitus, nec vitam in melius commu-
tare statuit, fructum huius sacra-
menti non assequitur. Quæ omnia, atque
alii

alia eodem pertinentia, sedulò perpert
dant qui confessionibus audiendis prè
ficiuntur, ut suum munus dignè adim
plentes, & ad Dei laudem in eo versa-
ti, diuinam in iudicio vltionem vita-
re atque effugere possint.

Quo etatis tempore fideles peccata cōfiteri debeant.

Cap. XIII.

LAUDAT ~~sancte~~ Synodus illorū mo-
rem, qui septem, aut octo annorū
pueros ad confessionem faciendam
mittunt, ut eos tam salutari sacramen-
to suscipiendo assuefaciant. Illis tamē
in quibus perfectus rationis usus vige-
re iam cœpit, quod à duodecimo ad de-
cimum quartum annum solet accide-
re, præcipit ~~sancte~~ Synodus, ut tem-
pore ab Ecclesia definito peccata sua
proprio sacerdoti, aut ijs, qui ab Ordini-
nario designati erunt, confiteantur: &

D ij pro



pro iudicio, & sententia confessoris sacrametiam Eucharistiam recipient.

*Describenda à Curatis illorum nomina, qui precepto
confitendi peccata in Quadragesima obligantur.*

Cap. X I I I.

MAgno animidolore ferens ~~funera~~
Synodus, multos esse, qui ad san-
ctum pœnitentiæ sacramentum segni-
ter accedant, rationes multas exquisi-
uit, quibus ad tam salubre animæ me-
dicamentum omnes attraheret. His
igitur, quoad fieri potuit, animaduer-
sis, Curatis omnibus præcipit, ut pri-
ma Quadragesimæ die eorum nomina
describere incipient, quos obligatione
huius Sacramenti suscipiendi in sua
parochia deuinctos esse intelligent;
ipsosq; sedulò moneant, ne susceptio-
nem Sacramenti huius in postremam
Quadragesimæ partem differant, do-
ceantq;

ceātq; populum ipsa Dominica in Al
bis tempus ab Ecclesia confessioni præ
scriptū finiri, ac terminari: ac eos, qui
ea Dominica transacta non iam pecca
ta sua cōfessi fuerint, & sacram Eucha
ristiam sumpserint, nisi fortè consilio
confessoris à Cōmunione aliquamdiu
abstinendum esset, iam tunc præceptū
Ecclesiae, quod capite, Omnis vtriusq;
sexus, continetur, fuisse transgressos.
Qui transacta Dominica in Albis præ
dicto Ecclesiæ præcepto nondum pa
ruerint, si fuerint familiarum capita,
viginti solidos; alij verò decem pen
dant. Insuper aduersus eosdem præce
pti Ecclesiæ transgressores tres genera
tim monitiones fiant, prima quidem
in secunda Dominica post Pascha, reli
quæ verò duabus sequentibus Domini
nicis, vt ita singulis monitionibus v-

na assignetur hebdomada; quādō vero
ad quintam Dominicam post Pascha
peruentum erit, nec mandatis adhuc
obedierint, excommunicati nomina-
tūm in ipsa quinta Dominica, & se-
quentibus Dominicis, donec præ pu-
dore resipiscant, declarentur. Curatus,
qui huic statuto, omni secluso perso-
narum discrimine, non fuerit obsecu-
tus, trium librarum multa, & pro Or-
dinarij arbitrio puniatur. Iubet vero
~~Emperat~~ Synodus præsens decretum pri-
ma Dominicā Quadragesimæ ab ipsis
Curatis annis singulis populo in tem-
plis publicari.

*Quando proprio Curato de confessione alteri facta
fides fieri debeat.*

Cap. X V.

Si qui eo tempore, quo ex Ecclesiæ
præcepto, Omnis vtriusq; sexus, o-
bligan-

bligantur, alteri, quam proprio Cura-
to, peccata sua confessi fuerint, præci-
pit ~~facta~~ Synodus, ut antequam ad
sacram Communionē accedant, pro-
prio Curato confessionis factæ fidem
faciant chirographo manu ipsius con-
fessoris subscripto, aut sigillo monaste-
rij obsignato, in quo pœnitentis nōmē
sit descriptum.

Qui possint confessiones audire.

Cap. XVI.

NVIIus nisi parochiale beneficium
habeat, audire confessiones ausit,
præterquam qui ab Ordinario appro-
batus fuerit, & illius facultatem, quæ
gratis detur, in scriptis habuerit. Alio
qui quinq; libris mulctetur, aut die-
bus octo carceris pœna afficiatur.

Confessionibus audiendis apta loca erigenda esse.

Cap. XVII.

C D Curent

CVrent Capitulā, & parochi erigi
in templis confessionalia, in qui-
bus apto & patenti loco confessiones,
potissimum fœminarum, audiri pos-
sint. Confessores autem hortatur ~~f~~
Synodus, vt quoad fieri poterit,
cūm in templis confessiones audient,
superpellicijs vtantur, quò decentius
Sacramenti administratio fiat.

Vota non leuiter cōmutanda esse: ex illorū cōmutatio-
nē à confessoribus in propria cōmoda vertinō debere.

Cap. XV III.


PResbyteris omnibus, qui in hac
prouincia confessiones audiūt, in-
iungit ~~f~~ **S**ynodus, vt diligenter
curent, si quando vel bullæ alicuius,
vel particularis indulxi Pōtificij, vel
etiam Ordinarij facultate vota aliqua
in alia pia opera ab ipsis commutanda
erunt, ne ea vota, quæ multis alioqui
impensis, vel magno corporis sensu
implē

mplenda erāt, in rem quācumq; etiā
euissimā cōmutent. Debet enim in
his cōmutationibus aliqua iustitiæ ra-
tio haberi, & pro personarū qualitate
cōmutatio votorū fieri. Quòd si ali-
qua in his dubitādi ratio se offeret, do-
ctiores consulant; vel ipsum etiā, si o-
pus fuerit, Ordinarium. Illud insuper
cōfessoribus maximè prohibet, ne eo-
rum vllus aliquā vel votorū, vel rerū
quarūcumq; cōmutationē, vele a etiā,
quæ pœnitēti in satisfactionē pro pec-
catis iniunxerit, in sua cōmoda, & vſus
cōuertat, quantūuis accepta aliqua pe-
cunię quantitate se missas celebraturū
esse dicat. Vult enim ~~fan-~~ Synodus
potissimum in Sacramentorū admini-
stratione tolli omnē mali suspicione.
Qui contra fecerit, in excommunicati-
onem latæ sententiæ incidat.

De sanctissimo Eucaristiae Sacramento.
Cap. XIX.

EVcharistia Sacramentum, in quo dominus sui erga nos amoris maxima argumenta ædidit, ob insignem autoris omnium Sacramentorum presentiam, Sacramentorum omnium præstantissimum, singulari veneratione à cunctis fidelibus coli, atq; adorari debet: ut pote in quo Dominus vberes suæ bonitatis diuitias in nos velut effudit, & memorabilem suorum memoriā breui quodam compendio complexus est. Quod quidem ex hoc mundo ad patrem discessurus, nobis reliquit: ut unitatis signū, & mutuae charitatis vinculum esset, quo fideles omnes inter se, accum eodem ipso omnium capite Christo copularentur. Quare cum res omnes sacras magna veneratione

one prosequi debeamus, certè quòd
 insignior, ac præstantior est huius sa-
 cramenti dignitas, eò maiori animi præ-
 paratione, & sanctitate ad ipsum susci-
 piendum fideles omnes oportet acce-
 dere. Quæ omnia mature considerans
~~fan~~ Synodus, monet atq; hortatur
 parochios omnes, vt cùm opportunū
 esse iudicauerint, plebem sibi cōmissā
 sedulò doceant, quām salubriter hoc
 Sacramentum, quod animæ nostræ di-
 uinus ac spiritualis est cibus, mentem
 nostram reficiat, sustētet, ac roboret.
 Qyod dū faciēt, ac reliquos etiā admi-
 rabilis huius Sacramenti fructus popu-
 lis explicabūt, ad frequētē illius vñsum
 eos hortentur, & alliciant: vt eius vi-
 gore cōfortati, totius huius vitæ curri-
 culum faciliūs conficientes, ad cœle-
 stem tandem patriam in fortitudine
 cibi



cibi illius peruenire possint.

Tempore paschæ in sua quisq; parochia fæ
cram Eucharistiam sumat,

Cap. XX.

CV ad boni pastoris munus perti-
neat, vultum cuium suarū agno-
scere, ouesq; à proprijs pastoribus con-
uenienter alimenta sumant; reprehen-
dit ~~se~~ Synodus illorum abusum,
qui sacrā Eucharistiam eo tempore, quo
ex præcepto Ecclesiæ in pascha obli-
gantur, percepturi, proprijs Curatis
relictis, ad alios illius sumendæ gratia
se conferunt: quare præcipit, ne id in/
posterum fiat, sed vt in sua quisq; pa-
rochia tunc Eucharistiam piè ac reue-
renter suscipiat. Alioqui, vt præcepti
ecclesiastici transgressor habeatur.
Neq; liceat Curatis, alicui, vt extra
parochiam prædicto tempore Eucha-
ris;


atiam sumat, facultatem concede-
re, nisi de consensu Ordinarij. Ijs, qui
Iesus fecerint, duarum librarum mul-
ta sit irrogata. Infirmi verò quando-
ob mortis periculum sacram Euchari-
stiam domi suscipere voluerint, tum
ut Christiani sui animi signa promāt,
tum etiā ut reliquos suo exemplo inui-
tent, ab ipso templo, & à proprio suo
parocho eam deferri curent.

*Quando liceat nocta sacram Eucharistiam
ad infirmos deferre.*

Cap. XXI.

CVm sacra Eucharistiā ad infirmos
reuerēter, atq; honorificè, quoad
fieri potest, deferenda sit, neq; id com-
modè noctu fieri queat, præcipit ~~san~~
Synodus sub decem solidorum pœ-
na, ne noctu ad infirmos deferatur, nisi
ob vrgēs infirmi alicius periculum.

Pro



Pro ablutionibus ag... in dari aere.

Cap. XXII.

Non probat ~~sancta~~ Synodus vsum illū, quo in quibusdam huius prouincie locis post sacram Communionem vinum, aut vinum aqua permixtum laicis pro ablutionibus dari solet: quare post hac aquam tantum illis datur precipit, que non sacro calice, sed vase argenteo, vel vitro, ubi id fieri poterit, exhibetur.

De Sacramento matrimonij.

Cap. XXIII.

Doceant Curati plebes sibi commissas, quantum & autoris maiestate, & temporis vetustate matrimonium commendandum sit. Quod statim initio creati orbis in officium naturę à Deo est institutum, & ab eo etiā bene

benedictione saceratū. Post hominis vero lapsum, quod sanis institutū fuerat in officium, ægrotis fuit etiam in peccati remedium. Deniq; in lege Evangelica à Christo domino confirmatū, & eiusdem legis sacramentum institutum, dignè accendentibus ex ipsa Sacramenti ratione gratiam confert. Est & alioqui magnum hoc sacramētum in Christo, & Ecclesia: cuius nimirū institutione, arctissima & indissolubilis Christi & Ecclesiæ coniunctio mysticè præsignata fuit. Sunt ergo admonendi, qui matrimonio iungi volunt, quanta sit huius Sacramenti dignitas, & præstantia, ac proinde huius potissimum rei gratia matrimonii ab ipsis contrahi debere, ut seruata sibi fide, & mutua se dilectione prosequentes, finem, in quem matrimonium institu-

E t u m

um est, à Deo sperent, & eius opere
 sequantur: ne etiam ipsos turpis affe-
 ctus obruat; ne voluptas ab honesto
 deiiciat: sed sit inter eos honorabile cō-
 nubium in omnibus, & chorus imma-
 culatus: ut mulieres viris subditæ sint,
 eosq; reuereantur: ac ut vicissim viri
 uxores suas diligent, sicut & Christus
 dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit
 pro ea. Doceant ergo non esse viciū-
 que ad hoc sacramentum accedendū,
 sed ea, qua decet, animi præparatione:
 ac proinde eos hortetur, ut antequam
 verbis de præsenti contrahant, vel sal-
 tem ante nuptialem benedictionem,
 quam extra parochialem ecclesiā su-
 mere non debent, peccata sua diligen-
 ter confiteantur, & sacram Euchari-
 stiam piè, ac sanctè suscipiant.

SECVNDA.

Parochi nunc.

matrimonio iungantur.

Cap. XXXV.

Thalassina

Quamvis matrimonia, quæ inuitis
parentibus fiunt, non idco irrita
sint; quia tamen quando illis initis
trahuntur, pleraque mala & scandala
oriri solent; his occurtere volens san-
cta Synodus, districte præcipit, ne pa-
rochus ullus eos, quos probabilitate sci-
uerit inuitis parentibus matrimoniu-
contrahere velle, matrimonio iunge-
re, vel alicui presbytero iungendi fa-
cultatem dare præsumat: ne'ue pres-
byter ullus de parochi facultate, vel
allo quocumq[ue] p[re]textu, aliquos inui-
tis parentibus matrimonio copulare
aue: sed de ea se Ordinarii certio-
lem reddant: ut ipfa sedulò perpenfa,
quid sit agendum, Ordinarius ipse ma-
turè delibaret. Sicut fecerint, tam

parochus, quia si pro ~~pro~~ syr~~c~~r beneficio-
rum eccl~~e~~siasticorū, si quæ habuerint,
priuationem incurran~~t~~, & ad alia obti-
nenda inhabiles efficiuntur. Si verò be-
neficijs caruerint, sentētia excommunicati-
onis maioris, & suspensionis ab Of-
ficiis ipso facta sint adstricti. Quin
etiam Curatis sub viginti librariū pre-
na iubet sancta Synodus, ne facultatē
celebrandi inter aliquos matrimoniu-
m alicui presbytero cōcedatur, qui bene-
ficiū eccl~~e~~siasticum in hac Provin-
cia non habuerit.

*Qui intra gradus prohibitos scienter matrimonium
contrahunt, excommunicantur.*

Cap. XXV.

QUi scienter intra gradus prohibi-
tos matrimoniu~~m~~ contrahere pre-
sumperit, ac is etiā multò magis, qui
non tantūm contrahere, sed & consum-
mare

marc illud ausus fuerit , excommuni-
cati ipso facto existant; alijsq; pecunia
rijs, & corporis pœnis , etiā exilij , pro
arbitrio Ordinarij puniri possint.
Quicumq; autem quocumq; fine, etiā
sub spe dispensationis habendæ , intra
gradus prohibitos ad carnis commix-
tionem accedere nō fuerint veriti, tā-
quam incestuosí ab Ordinarijs acriter
puniantur . Qui verò consanguinita-
tis, vel affinitatis impedimenta scien-
tes , huiusmodi matrimoniorum con-
tractus, quoad poterunt, non impedi-
rint; & qui post auditas in tēplis moni-
tiones , hęc impedimenta nō manifesta-
uerint , sex librarum , vel alia maiori
pœna, arbitrio Ordinarij imponenda,
afficiantur.

*Adversus delitos, quibus ad fidem super conuicti in con-
tractu matrimonij uti consueverunt.*

Cap. XXVI.

E iñ Solaro

Solent nuper ad fidem cōuersi, cām
 filios suos, aut filias matrimonio
 collēcare volunt, miris atq; exquisitis
 modis matrimonij contractum obser-
 vare, atq; incertū reddere: ut aliqui
 ca do parentes sola pactione, qua inter se
 concurredit, huiusmodi contractum
 inter filios callide perficiant. Quem
 quidem contractum, ut libet, pro tem-
 poris occasione iam matrimonii esse
 afferunt, iam verò negant: vnde solent
 controvērsia multæ, ac licesoriri. Id
 circo statuit sancta Synodus sub decē
 librarium poena, ne nouiter comitri
 contractus aliquos circa matrimonium
 inter se inceant, nisi contractum spon-
 saliorum, qui verbis futuri temporis
 conficitur, idq; præsente paroche, &
 testibus: vel contractum matrimonij
 per verba præsentis temporis, quibus
 ipsi-

infirme contrahentes consensum ex-
primant, praesente etiam parocho, &
testibus. Præcipit insuper illis, ne ante
hos contractus sponsaliorum felicer,
& matrimonij, dona illa aurea, vel ar-
gentia, vel quævis alia, quæ ad futuras
uxores mittere solent, in posterū mit-
tant. Si minus parchunt, omnia illa
quæ miserint, amittunt. Qui verò alijs
quibuscumq[ue], circa matrimonium co-
tractibus, quam duebus prædictis in-
terfuerint, penam sex librarum subi-
re compellantur. Quibus sub eadem
poena mandamus, ut post sponsalia
verbis futuri temporis inita, intra tri-
ginta dierum spaciū matrimonium
in facie Ecclesiae contrahant.

Nec recenter ad fidem conuersi Machometa-
nos ritus obseruant.

Cap. XXVII.



~~P~~rohibet sancta synodus omnibus
 huius Provinciae rectis ad fidem
conuersis, ne Machometana festa ie-
junia, festa, aut ritus quo secumq; obser-
vant: ne'uc potissimum in matrimo-
nii sc̄ilicet in Machometi laudem,
præscripsi ques Zambras, & Leilas di-
cunt, concinnant. Qui contra fecerint,
seuerè pro qualitate delicti puniatur.
Ipsis vero iustitia executoribus mini-
stris præcipimus, ut hos Machometa-
nos ritus prohibeant, aut Ordinario
denuncient, duabus alioqui libris mul-
tiandi.

In eos, qui communes preces ignorant.

Cap. XXVIII.

~~I~~Ubet sancta Synodus, ne parochus
 inter eos matrimonia celebret, quos
 verisimile ipsi fuerit, vel propter ru-
 sticos mores, vel animi defidiam ora-
 tionem


sionem Dominicam, salutacionē Angelicam, symbolum Apostolorum, & precepta legis nescit. Et quō magis plebs ad hæc perdiscenda mouant, se hoc sanctæ Synodi decretum executioni mandaturos esse, plebi sua, cùm opportunum erit, significant. Quod tamen in recentier conuersis functionum seruetur, cùm in fide instructi erunt. Cuias reitura sit penes illum, qui ab Ordinario deputabitur.

Exteri & ignoti ne à Curatis sine Ordinarii facultate matrimonio copulentur.

Cap. XXXIX.

Si quādo parochi ad exterros, ac proinde ignotos matrimonio iungendos vocati fuerint, præcipit sancta Synodus, ne id faciant inconsulto Ordinario, sed ab eo facultate quæsita, & obtenta. Ordinarius verò, nisi præceden-

E V T E



te informatione, qua de personarum qualitate & statu certior fiat, eam facultatem nemini concedat. Cuius informationis, & causæ examinis Notarius in ipsa facultate mentionē faciat, alioqui multandus omnibus impensis, quæ in negotio tractando ob ipsius incuriam fient. Parochus qui huic decreto non paruerit, decē libras soluat.

De peregrinis vagantibus.

Cap. XXX.


Peregrinis, qui bini vir & fœmina vagari solent, in Hospitalibus ad noctem tantum vnam locus detur, nisi fidē fecerint, se matrimonio esse coniuctos. Neque transacto festo resurrectionis Dominicæ ad festum usque Pentecostes in Hospitalibus morari facere permittatur, nisi legitimè ostendant, quod peccata sua confessi fuerint

rint, & ad sacram cōmunionem tempore Paschæ accesserint: vel nisi intra triduum peccata sua confiteantur, & pro confessoris iudicio sacram Eucharistiam recipient.

Ne Coniuges propria auctoritate separantur.

Cap. XXXI.

Detestatur ~~sane~~ Synodus illorū abusum, qui matrimonio iuncti, facile tamen ab inuicē propria auctoritate separātur. In quo quasi rem nihil agat, magnā sibi conscientiæ securitatē aliquādo pollicentur. Omnibus igitur coniugatis districtè præcipit, ne deinceps propria auctoritate separātur: aut iam separati, in eo persistant. Alioqui decem dies pro prima monitione, ac totidem pro duabus alijs, ac pro peremptorio termino illis presigit, intra



quos vel ad mutuam cohabitationem redire, vel causas ad Episcopum, seu eo absente, ad personam ab eodem eligendam deferre teneantur. Quæ causæ si minus legitimæ videbuntur, mandet illis Episcopus, vel ab eo eligendus, sub pœna ipsius arbitrio imponenda, ut eas in iudicio prosequatur. Qui peracto prædicto viginti dierum termino, neq; ad mutuā cohabitationem redierint, neq; causas detulerint, excommunicationem latæ sententiæ incurvant. Quod statutū post dies sexaginta à die publicationis eius, quæ in Metropolitana ecclesia fiet, huius Provinciæ subditos obligare incipiat.

Reliqua, quæ ad matrimonij Sacramentum spectant, ad normam decretorum Tridentini Concilij sunt exigenda.

SAcramento Ordinis potestas quædam hominibus traditur, qua sit, ut ceteris quidam multò sint eminentiores. Oportuit enim Ecclesiam, que sanguine Christi cōstructa fuit, pulcherri mo quodam ordine constitutam esse: ut quemadmodum in rebus natura cōstantibus, ac etiam in cœlestibus, alia alijs sunt superiora, ita in Ecclesia, quæ inter hæc medium statum obtinet, quædam alijs potestate, ac dignitate præstarent. Hinc varij in Ecclesia ordinum gradus conspiciuntur, quibus alij alijs sunt superiores. Inter quos qui admirabili & præstantissima Sacerdotij dignitate præditi sunt, reli quis longè antecellunt. Qua & verum Christi corpus consecrare, offerre, ac mini-



S E S S I

ministrare; & populi peccata dimittere, ac retinere possunt. Quam potesta tem à Domino illis collatā meritò tāquam diuinam admiramur, & suspici-
 mus. Cùm igitur oporteat, eos, qui cæ-
 teris dignitate præferuntur, vitæ etiā
 sanctitate, conuersatione, & exemplo
 illos superare; vt qui ministri sunt
 Christi, & dispensatores mysteriorum
 r. Ad
orin. 4 eius, fideles dispensatores inueniātur:
 omnes in sacris Ordinibus cōstitutos
 magnopere hortatur ~~fusca~~ Synodus,
 vt dignitatis suæ memores, ita vitam
 instituant, vt cæteris meritò præesse
 r. Ad possint, habentes, vt ait Apostolus,
imo. 3. mysterium fidei in conscientia pura.

Clerici quo modo fori priuilegio gaudere possint.

Cap. XXXIII.

Quoniam clericus iuxta Tridentini Concilij decretum fori priuilegio

legio non gaudet , nisi beneficium ec-
 clesiasticum habeat; aut clericalem ha-
 bitum, & tonsuram deferēs, alicui ec-
 clesiæ ex mandato Episcopi inseruiat,
 vel in Seminario clericorum , aut in
 aliqua schola , vel Vniuersitate de li-
 centia Episcopi , quasi in via ad maio-
 res Ordines suscipiendos versetur: sed
 nec clerici coniugati eodem fori priuē-
 legio gaudēt, nisi alicuius ecclesiæ ser-
 uitio , vel ministerio ab Episcopo de-
 putati, eidem ecclesiæ seruant, vel mi-
 nistrant, & clericali habitu, & tonsura
 vtātur: idcirco ~~sancta~~ Synodus quam-
 uis intelligat , atq; etiā statuat, omnes
 quicumq; prætextu clericalis tonsuræ
 aliqua crimina commiserint, pro illo-
 rum qualitate acriter , iuxta formam
 iuris, ab Ordinarijs puniendos esse, ne
 ex clericali tonsura delinquēdi ansam
 assu-

allumant : nolens tamen, quantum in
ipsa est, horū priuilegiorum vsum ex-
tingui ac tolli, rationem explicandam
esse duxit , qua clerici his priuilegijs
iuxta Tridentini Concilij præscriptū
gaudere possint. Decernit igitur, om-
nes prima tonsura initiatos , etiam si
coniugati sint, qui fori priuilegio gau-
dere voluerint, tonsura vti debere ma-
gnitudinis , vt minimūm dimidiij ar-
gentei ; habitum etiam clericalem or-
dinariè deferre, ut pote oblongum pal-
lium , quod vestium genus Manteos
appellamus , vel palliū breuius ad ge-
nua tamē vſq; saltē demissum, cuius-
modi uestes vulgus Herreruelos vo-
cat; cum clericali pileo, vel galero, nō
arcto admodum, sed quatuor ut min-
imūm digitis lato , in quo nihil sit au-
ri, vel argenti, vel plumarū; cui nihil
addi

addi possit ornamenterum, quod non
sit nigri coloris: ut in habitu decenti,
animum etiam præ se ferant mitiorem,
& statui clericali congruentem. Mini-
steria vero, ad quæ sunt in ecclesijs ab
Episcopo deputandi, hæc esse statuit:
primùm ministrare Missis, non qui-
dem respondere tantum celebrati, sed
illi, ut ministrū decet, inseruire: quod
faciūt, qui induenti se presbytero præ-
stò adsunt, vinum & aquam deferunt,
lumen accendunt, Missale ex uno alta-
ris cornu in alterum cōmutant, & hu-
ijsmodi alia peragunt. Quæ quidem
ministeria, vel horum aliqua agent,
idq; ense deposito, & tempore ab Ordī
nario illis designando. Deinde etiam
inter ecclesiastica ministeria compu-
tat ~~fusca~~ Synodus, curā penes se assu-
mere, ut in facello aliquo, vel altari in

ecclesia ab Ordinario nominanda, mūda sint omnia, & appositè adornata : in choro etiam canere : & alia ministeria exercere, quæ verè ecclesiastica sunt, & iudicio Ordinarij talia censemantur.

*De illorum examine, qui ad superiores ordines
sunt promouendi.*

Cap. XXXIII.

Promoti ad aliquos ordines, quando ad superiores promouēdi erūt, nō modò qualitatibus, quas in eis Cōcilium Tridentinum requirit, prædicti esse debent : sed etiam per ceremoniarum magistrum, vel examinatorem ab Ordinario deputandum probandi sunt, an in functione inferioris ordinis sint probè instructi. Neque enim par est, eos ad altiora conscendere, qui inferiora ministeria exercere nescierint.

Primum Missam celebraturus de ceremonijs examinari, et facultatem habere debet.

Cap. XXXV.

NVllus presbyterorū primā Missam celebret, quin priùs à magistro ceremoniarum, vel alio ab Ordinario deligendo examinetur, nū Missæ ceremonias rectè noscat: & nisi ab Ordinario, vel eius generali Vicario, si sex tantum leucis à ciuitate distet; si verò pluribus, ab Officiali foraneo facultatē habuerit. Qui neglexerit, suspensione ab ordinibus arbitrio Prælati puniatur.

Qui non fuerit subdiaconus, ne dalmatica induitus epistolam cantet.

Cap. XXXVI.

IN quibusdam ecclesijs nonnulli ministeria sacra, quæ sibi non competunt, exercere non verentur. Statuit

F i i igitur

igitur ~~sanctissima~~ Synodus , ne in posterū
qui non fuerit ad sacrum Subdiacona-
tus ordinem promotus , dalmatica in-
dutus epistolam cantet , aut altari tan-
quam subdiaconus deseruiat . Qui non
paruerit , atque etiam Curatus , qui id
permiserit , quisq; solidis quinq; mul-
etetur .

S E S S I O T E R T I A

S A N C T A S E D E A P O S T O - L I C A P E R O B I T U M F E L . R E .

*Pij quarti vacante , celebrata
die X X I . Decemb.*

M . D . L x v .

*



A prouincialis Valentia
na Synodus , presidente in
ca Illustrissimo ac Reueren-
dissimo domino Martino
Ayala Archiepiscopo Valentino , in-
telligens cōmunitatis populi morum re-
for-

formationem ex ecclesiasticorum moribus probè institutis potissimum pendere, utpote à quibus cæteri vel ad bonum virtutis exemplo prouocentur; vel ad malum prava illorum vitæ consuetudine impellantur; necessariū esse duxit, sequentia hæc decreta, quæ ad eos, qui sacris ministerijs sunt additi, mores instituendos, ac reformandos spectant, sancire: & illis seruanda proponere.

TITVLVS TERTIVS
de ijs, quæ ad ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum gubernationem spectant.

*De munere Episcoporum.
 Cap. I.*


CVm Spiritus sanctus Episcopos velut speculatores quosdam in Ecclesia

clesia constituerit, qui tamquam in spe-
cula positi, & ex ea reliquis superin-
tendentibus, Ecclesiam, quam Christus
sanguine suo acquisivit, doctrina &
salutaribus institutis pascerent, ac
gubernarent; meritò ~~laetissimam~~ Synodus
huius Provinciæ Episcopos tales esse
desiderat, qui vitæ integritate, & do-
ctrina conspicui, velut lucernæ supra
candelabrum fulgentes, omnibus, qui
in domo sunt, luceant: ut eorum bo-
na opera ab hominibus videantur; &
pater, qui in cœlis est, ab omnibus
glorificetur. Sint ergo in primis so-
brii, casti, prudentes, mansueti, &
hospitalitatis amantes: mensa sit illis
non superfluis, & exquisitis instructa
epulis, sed frugalis: non plus & quo
magnifica, & ad delicias comparata
suppellex: non impudica, aut conten-

T E X T A.

tioſā familiā, ſed ad modētiam, & ani-
 mi tranquillitatē probē instituta:
 prouentus ecclesiasticos non in quoſ-
 cumq; viſus prodigē effundant, quos
 ſciunt, non hæreditario iure ſe à maio-
 ribus ſuis accepiffe, ſed ad res piè ſan-
 cteq; gerēdas ſibi assignatos fuiffē: ege-
 nis liberaliter ſubueniant: cognatos,
 aut affines bonis ecclesiæ minimē di-
 tēt: ac multo minus ecclesiastica bona
 accumulent, vt ex eis hæredem teſta-
 mento instituant. Beneficia Eccle-
 ſiastica dignis tantūm, & qui Ecclesiæ
 pro ſuo munere optimē inſeruire poſ-
 ſint, confeſtant. Ad ecclesiasticos or-
 dines non niſi bonum teſtimoniū ha-
 bētes, & idoneos promoueāt: ne ſi ma-
 gniſ alicui cito imposuerint, peccatis
 alienis cōmunicēt. Gregi ſuo prouide-

F iiiij ac fo-
mot. 5



ac solerter inuigilent, atq; prospiciat:
 ne à lupis, quos hoc tempore iam ferē
 vndiq; imminere conspicimus, lādi
 aliquo modo possit. Demū hūc ipsum
 gregem nulla ratione opprimant, sed
 sincero potius affectu velut patres sa-
) lubriter pascant, non vt dominātes in
 t.s. cleris, quemadmodum D: Petrus ait,
 sed forma facti gregis ex animo: vt dū
 in hæc boni pastoris munia diligenter
 incumbunt, eorum in diœcesi residen-
 tia nō inanis sit, & otiosa: sed vtilis o-
 mnibus, ac frugifera. Hæc, & his simi-
 lia ~~se~~ Synodus in Prælatis magnopere
 optat, vt qui tantæ in Ecclesia di-
 gnitati præsunt, in die reuelationis iu-
 sti iudicij Dei muneris sui rationem
 ipsi Deo, vt pareat, reddere possint.

De Pastorum residentia.
 Cap. II.

Vt ea

V^eta, quæ de Paltorum in suis ecclesijs residentia in sacro Tridentino Concilio statuta sunt, illorum auribus, & animis altius infigantur, merito eadē ipsa Tridentina Synodus statuit, atq; præcepit, insignia illa duo decreta, quæ de residentia, alterum sub Paulo tertio sessione sexta, alterū vero sub Pio quarto sessione vigesima tercia, sancita sunt, in Cōcilijs prouincialibus publicari. Cui mandato ~~san-~~
~~cta~~ hæc prouincialis Synodus obedire volens, duo ipsa de cœta hoc loco inserenda, ac etiā publicāda esse decreuit.


*Decretum de residentia sub Paulo tertio Pont. Max.
in Concilio Tridentino promulgatum.*

E Adem sacrosancta Synodus eisdē præsidentibus, & Apostolicæ sedis legatis, ad restituendā collapsam admodum ecclesiasticam disciplinam,

F v depra-

deprauatosq; in clero, & populo Chri-
 stiano mores emendandos, se accinge-
 re volens, ab ijs, qui maioribus ecclae-
 sijs præfunt, initiū censuit esse sumen-
 dum. Integritas enim præsidentium
 salus est subditorum. Confidens itaq;
 per domin: ac Dei nostri misericor-
 diam, prouidamq; ipsius Dei in terris
 Vicarij solertiam omnino futurum,
 vt ad ecclesiarum regimē, onus quip-
 pe angelicis humeris formidandum,
 qui maxime digni fuerint, quorumq;
 prior vita, ac omnis ætas à puerilibus
 exordijs usq; ad perfectiores annos per
 disciplinæ stipendia ecclesiasticæ lau-
 dabiliter acta, testimonium præbeat,
 secundum venerabiles beatorum Pa-
 trum sanctiones assumantur: Omnes
 Patriarchalibus, Primatialibus, Me-
 tropolitanis, & cathedralibus ecclesijs
 qui-

quibuscumque quovis nomine ac titu-
 lo præfectos moneret, ac monitos esse
 vult, ut attendentes sibi, ac vniuerso
 gregi, in quo Spiritus sanctus posuit
 eos regere Ecclesiam Dei, quam acqui-
 sicut sanguine suo, vigilent, sicut Apo-
 stolus præcipit, in omnibus laborent,
 & ministerium suum impleant: imple-
 re autem illud se nequaquam posse sciant,
 si greges sibi cōmissos mercenariorū
 more deserant; atq; ouium suarū, qua-
 rū sanguis de eorū est manibus à supre-
 mo iudice requirendus, custodię mini-
 mè incubant: cum certissimū sit, non
 admitti pastoris excusationē, si lupus
 oues comedit, & pastor nescit. At ni-
 hilominus quia nonnulli, quod vehe-
 menter dolēdum est, hoc tēpore repe-
 riuntur, qui proprię etiā salutis imme-
 mores, terrenaq; cœlestibus, ac diui-
 nis



nis humana p̄f̄ferentes, in diueris cu-
rijs vagantur aut in negotiorum tem-
poralium sollicitudine, ouili derelicto,
atq; ouium sibi commissarū cura ne-
glecta, se detinent occupatos: placuit
sacrosanctæ Synodo antiquos cano-
nes, qui temporum atq; hominum in-
iuria penè in desuetudinem abierunt,
aduersus non residentes promulgatos
innouare; quemadmodū virtute præ-
sentis decreti innouat: ac ulterius pro
firmiori eorundem residentia, & refor-
mandis in Ecclesia moribus in hunc,
qui sequitur, modum statucre, atq; san-
circ. Si quis à Patriarchali, Primitia-
li, Metropolitana, seu cathedrali ecclē-
sia sibi quocumque titulo, causa, nomi-
ne, seu iure commissa, quacumque me-
dignitate, gradu, & præminentia præ-
fulgeat, legitimo impedimento, & seu
iustis

justis, & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suā diœcēsim morando abfuerit, quartæ partis fructuū vnius anni, fabricæ ecclesiæ, & pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum, pœnā ipso iure incurrat. Quòd si per alios sex menses in huiusmodi absentiā perseverauerit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente verò contumacia, ut seudiori sacrorum canonum censuræ subjiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum verò absentem suffraganeus Episcopus antiquior refidens, sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ eo ipso incurreda, infra tres mēses per litteras, seu nuncium Romano Pōtifici donū dare teneatur: qui ipsos absen-

absentes, prout cuiusq; maior, aut mi-
nor cōrumacia exegerit, suæ supremæ
Sedis autoritate animaduertere, & ec-
clesijs ipsis de pastoribus vtilioribus
prouidere poterit, sicut in Domino
nouerit salubriter expedire.

*Decretum de residentia sub Pio quarto Pont. Max. in
Concilio Tridentino promulgatum.*

Eadem sacrosancta Tridentina Sy-
nodus reformationis materiā pro-
sequens, hæc quæ sequuntur, in præ-
senti decernenda esse statuit, & decer-
nit. Cùm præcepto diuino mādatum
sit omnibus, quibus animalium cura
commissa est, oves suas agnoscere, pro
his sacrificium offerre, verbiq; diuini
prædicatione, Sacramentorum admi-
nistrazione, ac honorū omnium ope-
rum exemplo pascere: pauperū, alia-
rumq; miserabilium personarum cu-

ram paternam gereke; & in cætera mu-
nia pastoralia incumbere: quæ omnia
nequaquam ab ijs præstari & impleri
possunt, qui gregi suo non inuigilant,
neque assistunt, sed mercenariorum
mōre deserunt: sacrosancta Synodus
eos admonet & hortatur, vt diuinorū
præceptorum memores, facti q; forma
gregis, in iudicio & veritate pascant, &
regat. Ne verò ea, quæ de residētia san-
cte, & vtiliter iā ante sub fel. rec. Pau-
lo IIII sancita fuerūt, in sensus à sa-
crosancte Synodi mēte alienos trahan-
tur, ac si vigore illius decreti quinq;
mēsibus cōtinuis abesse liccat; illis in-
hārendo, declarat sacrosancta Syno-
dus, Omnes Patriarchalibus, Prima-
cialibus, Metropolitanis, ac cathedra-
libus ecclesijs quibuscūq; quo cūq; no-
mine, & titulo præfectos, etiā si sancte

Roma-

Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua ecclesia, vel diœcensi residentiam, vbi iniuncto sibi officio defungi teneantur : neque abesse posse, nisi ex causis, & modis infra scriptis. Nam cum Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obediencia, ac euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, & exigant ; decernit eadem sancta Synodus, has legitime absentias causas à beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente, suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentia probare debebit, in scriptis esse approbandas; nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, & Reipub. officium Episcopatibus adiunctum. Cuius quoniam causæ sunt notoriæ, & inter-

& interdum repentinæ, ne cas qui-
dē significari Metropolitano necesse
erit: ad eundem tamen cum Concilio
prouinciali spectabit, iudicare de li-
centijs à se, vel à suffraganeo datis: &
videre, ne quis eo iure abutatur; & vt
pœnis Canonicis errantes puniantur.
Interea meminerint discessuri, ita ouibus suis prouidendum, vt, quantū fie-
ri poterit, ex ipsorum absentia nullum
damnnum accipiant. Quoniam autem
qui aliquātis per tantūm absunt, ex ve-
terum Canonum sententia non vidē-
tur abesse, quia statim reuerfuri sunt;
sacrosancta Synodus vult, illud absen-
tiæ spatium singulis annis siue conti-
nuum, siue interruptum, extra prædi-
cas causas, nullo pacto debere duos,
aut ad sumnum tres menses excede-
re; & haber rationē, vt id æqua ex cau-

G sa fiat,

sa fiat, & absq; vlio gregis detimento:
 quod an ita sit, abscedentium conscienc
 iæ relinquit, quam sperat religiosam,
 & timoratam fore: cùm Deo corda pa
 teant; cuius opus nō fraudulenter age
 re, suo periculo tenentur. Eosdem inte
 rim admonet, & in Domino hortatur,
 ne per illius temporis spatium, Domi
 nici aduentus, Quadragesimæ, Natiui
 tatis, Resurrectionis Domini, Pente
 costes, itē & Corporis Christi diebus,
 quibus refici maximè, & in Domino
 gaudere Pastoris præsentia oucs de
 beant, ipsi ab Ecclesia sua cathedrali vlo
 pacto absint, nisi Episcopalia munia
 in sua diœcesi eos aliò vocent.

Si quis autem, quod vtinam nun
 quam eueniat, cōtra huius decreti di
 positionem abfuerit; statuit sacrosan
 cta Synodus, præter alias pœnas aduer
 sus

fus non residētes, sub Paulo tertio im-
positas & innouatas, ac mortalis pecca-
ti reatum, quem incurrit; eum, pro ra-
ta temporis absentia & fructus suos non
facere, nec tuta conscientia alia etiam
declaratione non secuta, illos sibi deti-
nere posse, sed teneri, aut, ipso cessante,
per Superiorē ecclesiasticum illos fa-
bricæ ecclesiæ, aut pauperibus loci ero-
gare; prohibita quacumq; conuentio-
ne, vel compositione, quæ pro fructi-
bus malè perceptis appellatur; ex qua
etiam prædicti fructus in totum, aut pro
parte, ei remitterentur: nō obstatibus
quibuscūq; priuilegijs cuicumq; colle-
gio, aut fabricę cōcessis. Eadē omnino,
etiam quoad cui pā, & amissionem fru-
ctuum, & pœnas de Curatis inferiori-
bus, & alijs quibuscumq; qui beneficiū
aliquid ecclesiasticum, curam anima-

rum habens, obtinent, sacrosancta Synodus declarat, & decernit; ita tamen, ut quandocumq; eos, causa prius per Episcopum cognita, & probata, hesse contigerit; Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquat. Descendendi autem licentiam in scriptis gratisq; concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex graui causa, non obtineant. Quod si per edictum citati, etiā non personaliter, contumaces fuerint; liberum esse vult Ordinarijs, per censuras ecclesiasticas, & sequestrationē & subtractionem fructuum, aliaq; iuris remedia, etiā usq; ad priuationem, cōpellere; nec executionem hāc quo libet priuilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiā ratione cuiuscumq; beneficij, pactione, statuto, etiam iuramento,

mēnto, vel quacumq; auctoritate confirmato, consuetudine etiā immemorabili, quæ potius corruptela censenda est, siue appellatione, aut inhibitione, etiā in Romana curia, vel vigore Eugenianæ cōstitutionis suspendi posse. Postremò, tam decretū illud sub Pau lo tertio, quām hoc ipsum in Cōcilijs prouincialibus, & Episcopalibus publi cari, sancta Synodus præcipit. Cupit enim, quæ adeò ex Pastorum munere, animarumq; salute sunt, frequēter omnium auribus, mentibusq; insigi, ut in posterum, Deo iuuante, nulla temporum iniuria, aut hominum obliuio ne, aut desuetudine aboleantur.

De reformatione curiæ ecclesiastice.

Cap. III.

INTER ALIA multa, quæ ad Episcoporū munus maximè spectat, illud etiam

G iii dili-

diligenter ab eis prouidendum est, vt
lites & controuersię ad ecclesiasticum
forum pertinentes, in ecclesiastica cu-
ria equissimè tractētur. Oportet enim
cūm aliarum optimarum actionum,
tum etiam rei huius bene ac fideliter
gestæ præclarū imitationis exemplum
à iudicibus ecclesiasticis, & eorum mi-
nistris ad cæteros peruenire. Omni-
bus igitur huius Prouinciæ Episcopis
iniungit ~~fan~~ Synodus, vt magna æ-
quitate, & quanta etiam fieri poterit
breuitate causas curiæ ecclesiasticæ cō-
cludi studeant: & vt stipendia, quæ po-
tissimum Scribis pro actis, & processi-
bus soluuntur, sicubi immoderata fue-
rint, ad æquitatem reducant: ne qui,
ius quærunt, si sumptibus fuerint op-
pressi, liti renūciare, & ius ipsuni amit-
tere cogantur. Ne verò pauperes sub-
fidia

celio destituti, causam aut aggredi, aut
utosequi non possint, aduocatum, &
secouratorem designent, qui illis gra-
ps patrocinentur.

Cumq; tota ferè cause vis ex testiū depositione pendeat, caueāt, ne in principalibus causis, quales sunt criminales grauiores, & quæ ad beneficia, vel matrimonia pertinent, & similes, ipsæ testiū depositiones notarijs solūm cōmittātur, sed ab ipsomet iudice omni studio & diligentia, notario excipiēte, recipiantur. Extra ciuitatem tamen viro prudenti, & probatae vitæ huiusmodi testium depositiones committi curēt. Causæ verò leuiiores, quæ auditis dūtaxat partibus, breuiter ac summatim decidi, & finiri à iudice possūt, in processum minimè deducātur, sed prudenter ac expeditè terminentur.

Cum autem processus impensæ sic curiæ notarijs consummata, seu vlti. p. solutione persoluendæ erunt, nor. p. fiat sine iudicis taxatione, & subscripti prione. Notarius, qui aliter processus impensas acceperit, dimidium eius pecunie amittat, quæ ipsi pro illo processu iure deberi iudicabitur. Quod iam nunc pauperibus arbitrio Ordinarij distribuendum, applicatur. Qua etiam lege eos, qui Episcopis à secretis fuerint, teneri, & obligari volumus. In causis etiam iudicum delegatorū notarios taxationi curiæ ecclesiasticæ subjectos esse debere, decreuit ~~facta~~ Synodus. Ceterum, si quando personæ ecclesiasticæ in carcere trahendæ erūt, modestè ac dec̄ter à ministris id fiat, ut ecclesiastici ordinis, & dignitatis magna ratio habeatur. Nullus autem

to. etis constitutus ad solā petitionē clerici capiatur, sed præcedente saltem semiplena probatione, aut vehementi præsumptione. Ad petitionem autem partis capi non debet, nisi præcesserit informatio; aut nisi pars ad Talionis pœnam, aut ad delicti probationem facienda, præstita arbitrio iudicis cautione, se priùs obligauerit.

Denique illud etiam ~~sancto~~ Synodus statuit, si à iudice contra aliquem in scriptis lata sit excommunicatio, & ille facultate iudicis sit absoluendus, ut hæc ipsa ad illum absoluendum commissio in scriptis fiat, & inter acta mandato iudicis referatur.

De Episcopis titularibus.

Cap. IIII.

Q Voniam Episcopi, qui titulares vocantur, nimia quadam licen-

G v tia


tia in Pontificalibus exercendis aburi
solent; ex quo cum in alijs, tum etiam
in promotione ministrorum Ecclesie
incommoda multa accidere sene ex-
perimus; statuit ~~seu~~ Synodus, ne in
hac Provincia Episcopus aliquis titu-
laris Pontificalia exerceat, aut ab ullo
Prælato ad ea exercenda admittatur,
nisi notus fuerit, & in regnis Hispanie,
aut insulis illi adiacetibus progenitus.
Qui Pontificalia clam minimè exer-
cere possit, sed de Ordinarij loci facul-
tate expressa. Sacros verò ordines mi-
nimè cōferat, nisi in Cathedrali ecclē-
sia, aut alia ab Ordinario ipsi designan-
da. Cui Prælatus stipendum compe-
tens tribuat, ne inopia pressus, Pontifi-
calia quoquomodo in quæstum mini-
strare cogatur. Si aliter quispiam ab
huiusmodi Episcopis vel ad primam
consu-

consuram, vel ad quocumque Ordines fuerit promotus, tam ipse Episcopus, quam qui ab eo promotus fuerit, Tridentini Concilij pœnis subiacent.

Ecclesiæ ministri quibus anni diebus Missam celebrare, aut sacram Eucharistiam sumere debeant.

Cap. V.

Eorum vitæ meritum qui minoribus Ordinibus initiantur, ut de gradu in gradum ascendat, iuxta Concilij Tridentini constitutionem cum alia multa, tum etiam crebrior, quam antea corporis Christi communio co probare debet: quod certè ijs magis competet, qui iam sunt primū ad sacros Ordines promouēdi, ac ijs multò magis, qui ad aliquē ex sacris Ordinibus sunt iā promoti. Quare statuit sancta Synodus, ut quatuor minoribus Ordini



Ordinibus iniiciati , in festo N. s. l. i.
Domini, Resurrectionis, & Pentecos-
tes in ecclesijs , in quibus ad ministeria
suum peragendum fuerint addi-
cti, ad sacram corporis Christi comu-
nionem accedant. Subdiaconi vero &
diaconi in eisdem tribus festis, ac feria
quinta in cœna Dñi, ac in festo Assum-
ptionis beatæ Mariæ, & omnium san-
ctorum sacrosanctam etiam Eucharis-
tiam suscipiant. Quā tamen in quin-
ta feria in cœna Domini , & in festo
Dominicæ resurrectionis, ut bono sint
omnibus exemplo, ab eo, qui Missam
conuentualem in ecclesia, in qua rese-
derint, celebrabit, percipiant. ~~Quinō~~
~~paruerit, nisi legitime fuerit impedi-
tus, illius dici distributiones amittat,~~
~~in quo ad sacram communionem non
accesserit: si vero, quibuscum non~~
habuerit,

habuerit, pro arbitrio Ordinarij mul-
ta imponatur. Presbyteros autem hor-
tatur ~~ad~~ Synodus, ut saltē diebus
dominicis, & festis solennibus Missas
celebrent: eos verò, qui curam anima-
rum exercuerint, tam frequenter cele-
brare iubet, nisi iustam excusationem
habuerint, ut muneri suo satisfaciant.
Porrò Curati, qui iusta aliqua ex cau-
sa parochijs suis non inseruierint, si ad
sacrum presbyteratus Ordinem erunt
promoti, omnibus Christi, & quatuor
beatæ Mariæ festis solennibus Missæ
sacrum faciant. Si verò ad presbytera-
tum promoti non fuerint, eisdem fe-
stis diebus sacram Eucharistiam su-
miant. Qua de re Vicario Episcopi, vel
Officiali, vel parocho loci, in quo resi-
debunt, fidem faciant: alioqui ab Ordi-
nario corripiantur.

Pro celebratione Missarum & qualem dandam esse eleemosynam: & omnem superstitionis cultum
et Missis potissimum rei ciendum esse.

Cap. VI.

ALiquorum abusum, qui pro celebrazione quarumdam Missarum plus exigunt elemosynæ, quam pro Missarum celebratione communiter accipi soleat, excludere volens ~~facta~~
Synodus, statuit, in tota hac prouincia & qualem pro Missarum omnium celebrazione elemosynam sumi debere.
Cumq; constet admirabilem & præstantissimum Missæ fructum ex ipso potissimum corporis & sanguinis Domini sacrificio, quod Deo offertur, prouenire; quod appositis & ab Ecclesia probatis precibus peragitur: ac pro inde indecorum esse, atque etiam impium, ex ijs ceremonijs, quas superstiosus potius cultus, quam vera reli-

gio

gio inuexit, quasq; nonnulli quarum-dam Missarum celebrationi subiungere solent, aliquid spiritualis fructus sperare: idcirco ~~falsa~~ Synodus præcipit, iuperstitiosum cultum Missarū, quę dicuntur reuelatę, & sancti Amatoris, & aliarum quarumcumq; similium, aboleri: certum etiam candclarum numerum, qui speciem superstitionis habet, reiiciendum esse duxit.

Quam eleemosynam æquum sit hoc tempore pro Missæ celebratione dari.

Cap. VII.

Quoniam æquum est, ut qui altari seruiunt, de altaris etiam ministerio viuant; sitq; compertū, eos, qui olim paruo viuere poterāt, vix iam propter rerum omnium caritatem duplicatis sumptibus se alere, ac sustentare posse; ut omnē etiā Simonię, & faciēdę fraudis occasiōne illis ~~falsa~~ Synodus adimatur,

adimat, qui fortè plūsquam decet, pr
 Missarum celebrationē exigent; aut
 inopia coacti, pro pluribus Missis, quæ
 ab eis celebrandæ essent, pauciores ce-
 lebrarent; & quum esse pro huius tem-
 poris ratione iudicauit, ut pro singulis
 Missis, quæ in posterum instituentur,
 vel celebrari mandabuntur, plus adiu-
 menti eas celebrantibus, ad vitæ suste-
 nationem confefatur: nempe regalis
 unus argenteus monetæ Castellæ.
 Quòd autē ad Missas illas attinet, quæ
 sunt iam à fundatoribus institutæ, cu-
 rent Ordinarij, ita eas ad rationem ali-
 quam commodam reducere, ut & illæ
 sine fraude celebrari possint: & ijs, qui
 eas sunt celebraturi, sit etiam cū æqui-
 tate prospectum. Qui verò plusquam
 hoc statuto præscriptum est, pro Mis-
 sa celebrationē poposcerit; qui etiam

pro quibus Missis vnam, vel pro pluribus pauciores celebrabit, sententia excōmunicationis ad stricti existant.

*De oblationibus per templum querendis,
dum Missa celebratur.*

Cap. VIII.

STATUIT ~~secunda~~ Synodus, ne sacerdos, qui Missæ sacrū facit, per templum oblationes querat, quantumuis primam, nouamq; Missam celebret. In oppidis verò, in quibus non alius erit sacerdos, quam qui rem ipsam sacrā celebrat, is ad altaris gradus priùs, deinde verò ad finē eius loci, in quo viri cōfident, tantisper consistat, donec oblata capiat. Nec enim ad locum mulierum ei progredi licet. Si non paruerit, tres argenteos soluat.

In novis Missis conuentus fœminarum, ex quibus scandalorum oriuntur, ne fiant.

Cap. IX.

H

Inua-

In ualuit in quibusdam huius prouinciae ciuitatibus usus, ut cum nouæ Missæ celebrandæ sunt, una vel plures è nobilibus fœminis alias ciuidem ordinis fœminas ad nouā Missam uident: à quibus considentibus in uno templi loco, & à viris etiam prope adstantibus, vel assidentibus non paruæ scandali occasio dari solet. Consideras autem ~~factum~~ Synodus æquum esse, ut sacrū à profano distinguatur, & omnē peccati & scandali occasionem è templis potissimum auferendam esse, præcipit sub excommunicationis pœna, ne fœminarum conuentus prædicto modo in templis fiant: quin etiā ipsis viris sub eadem pœna mandat, ne villo tempore in templis cum scandalo ipsis fœminis vel adstant, vel assideant: ut is honor locis sacris tribuatur, quæ illis

Uallis omnes meritò debemus.

*Tres simul Missæ in eodem altari
ne celebrentur.*

Cap. X.


CVM ritus ille , quo in quibusdam templis tres simul Missæ in eodē altari celebrari ac decātari solent, nulla ratione nitatur; huiusmodi ritū ~~fan-~~
~~do~~ Synodus tolli, & aboleri iubet.

*Templa sub noctem claudenda: & matutinum
officium sancti, cui templum consecratum
est, quando debeat inchoari.*

Cap. XI.

QUONIAM noctu flagitia multa committi solent, & sacra templa maximè seruata esse oportet, ne in eius aliquo scelere Deus offendatur ; idcirco præcipit ~~fan-~~ Synodus , ne à pulsu campanæ , quo beatam Mariam virginem sub noctem salutamus,

H ij sacra



sacræ ad populum conciones in templis, ac ne in ipsis etiā monasterijs habeantur: sed ipsa templa etiam monasteria ab eo tempore claudi debere stuit, excepta nocte Natalis Domini & si quæ aliæ sunt, in quibus contraria consuetudo iam olim inualuit: ijs etiā templis exceptis, in quibus preces matutinæ singulis diebus autoritate Apostolica initio noctis dicuntur. Diebus verò illis, in quibus officium matutinum sancti, vel sanctæ, cui templum dicatum est, solenniter agendum erit, decernit ~~fusca~~ Synodus, statim post Completorium, officium ipsum matutinum inchoari debere: vt ad ipsum dicti crepusculum, vel paulò post finiatur. Si verò predictis diebus aliter quam hic prescriptū est, matutinū officiū celebratū fuerit, parochus simul

& bene-

& beneficiati solidis centum mulcten-
tur. Insuper, quia nihil in templis in-
decorum permitti debet, profanas o-
mnes cantiunculas in matutinis pre-
cibus, & alijs quibuscumq; horis Ca-
nonicis ~~secundum~~ Synodus prohibet, &
eas tantum admittit, que ab examina-
tore per Ordinarium deputando exa-
minatae prius, & approbatæ fuerint.
Similiter nihil actionibus personarū
vult in tēplis repræsentari, quod eius-
dem examinatoris iudicio non sit an-
tea comprobatum. Capitulum, ac ipsi
etiam parochi, si aliter hæc in suis ec-
clesijs admiserint, sex libris mulcten-
tur.

*Preces horarias nō esse in Choro, dum sacra
aguntur, priuatim dicendas.*

Cap. XII.

Qui in Chorum conueniunt, psal-
lendi gratia conuenire debent, ut
H iii in psal-



in psalmis, hymnis, & canticis nomen
Domini pariter laudetur: cumq; nul-
lus, quod choro debet, iuste illi subtra-
here possit, aut alios à communi can-
tu impedire, meritò præcipit ~~lætitia~~
Synodus, ne in choro, dum sacra agun-
tur, preces horariorum, quæ pro quotidiano
penso recitandæ sunt, ab aliquo, vel
aliquibus priuatim dicantur. Qui ali-
ter egerit, distributionem illius horæ
amittat, in qua huiusmodi preces in
choro recitabit.


De bono eto ecclesiasticorum habitu.

Cap. XIII.

MAximè decet Ecclesiæ ministros
decenti etiam corporis vestitu
honestos animi mores præseferre, ut
exterior corporis habitus Ordini, ac
hone

onestati congruat clericali. Quare statuit ~~secunda~~ Synodus, ut in sacris ordinibus constituti vestibus vtantur tabaribus, non rubei coloris, aut viridis, sed nigri; vel eorum colorū, quos honestus ecclesiasticorum usus admisit: scissis non vtantur calceis, neque anulis digites ornent, nisi quibus competit ex officio dignitatis. In subuculis collaria rugita minimè deferant, neque additamenta illa sinuosa extremitati manicarum subuculæ adiungant. Vestibus superioribus ex serico villoso, aut raso confectis minimè vtantur. Qui huic decreto non pruerint, vestiū amissione damnatur. Illud etiā maximè current presbyteri, ne sacras vestes, celebrationi Missæ dicatas super vestes breuiores, quā in

H. iiiij. tala



talares induant. Deniq; talem in eccl^{ia}
siaisticis viris amictū cupit ~~ferant~~ Sy-
nodus, vt neq; pannosi, aut laceri sint,
neq; vestibus exquisita arte confectis
vtātur: sed ea indumenta gestent, quæ
animi quietē, ac modestiā promittāt.

Sacris initiati ne arma deferant.

Cap. XIII.

OMNIBUS, qui sacris sunt iniciati,
mandat ~~ferant~~ Synodus, ne per-
ciuitates, aut oppida arma deferant.
Iter tamen facientibus ensem, non au-
tem tormentum manuarium, nisi iu-
sta aliqua ex causa, quam Ordinarius
approbare debeat, gestare liceat.

*In sacris constituti ne Minimī sint, aut compotatores; et
pensum horariorum decenti loco esse persoluendum.*

Cap. XV.

IN sacris constituti minimè perso-
nas in comedijis, aut mimos, aut hi-
striones

striones agant; crapulam, ebrietatem,
 & compotationes fugiant, neq; illis cō-
 uiuijs intersint, ad quæ fœminarum &
 laicorum ingens, ac inquieta turba cō-
 currit, vnde verisimile sit, scandalum,
 aut animæ periculum oriri posse.

Preces horarias debita veneratio-
 ne persoluāt, nō in vicis, aut fenestris,
 alijs ve locis parūm decoris: sed in se-
 cretioribus, & orationi cōgruentibus,
 vt ad deuotionem excitati, Deum nō
 labijs tantūm, sed spiritu etiam orent.

*Ecclesiastici ad forum, aut ad curiam secularem
 super pellicijs induti ne procedant.*

Cap. X VI.

O Portet sacris mysterijs addictos
 diligenter aduertere, ne ipsorum
 incuria dignitas ecclesiastica apud ple-
 bem vilescat: quare prohibet ~~exhorta~~
 Synodus, ne ullus sacris ordinibus ini-

H v t i a t u s

tiatus vel ad macellum, vel ad forum,
siue piscarium, siue olitorium, vel ad
secularium causarum curiam super-
pellicio induitus se conferat. Qui man-
dato non obedierit, vnius argen-
tei mulcta pro qualibet vice punia-
tur.

*Constituti in sacris secularia
negotia ne traditi.*

Cap. XVII.

Qui in sorte Domini vocati sunt,
ac proinde quorum Dominus ha-
reditas est, magnopere cauere debent,
ne suæ functionis obliti, ad alia diuer-
tant, quæ ab ipsisorum dignitate & mi-
nere sint aliena. Qui enim futuri sunt
religionis magistri, & in lege Domini,
die ac nocte meditari debent, ut cæte-
ros

ros exemplo ac doctrina ad bonū prouocent; nihil cum profanis negotijs,
quæ illos à rebus diuinis auertunt, ha-
bere debent commune. Nemo enim, 2.1.
vt ad Timotheum scribit Apostolus, ^{moth. 2.}
militans Deo implicat se negotijs se-
cularibus, vt ei placeat, cui se proba-
uit. Quare ~~secularia~~ Synodus omnibus,
qui faciliis ordinibus sunt initiati, præ-
cipit, ne secularis alicuius personæ pro-
curatores sint, aut œconomi, aut cau-
sarum secularium solicitatores. Qui
mandato non paruerint, viginti libra-
rum pœna, aut quindecim diebus car-
cere puniantur.

Iubet insuper illis, ne aduocati sint,
aut vlli coram iudicibus patrocinen-
tur, nisi in causis ecclesiasticis, ac etiā
miserabiliū personarum: dūmodo hęc
pro



pro veritate, & omni fraude seclusa a-
gant, vt exemplum cæteris præbeant
salutare: alioqui præcedenti pœna pu-
niantur.

Adhæc eisdem mandat, ne prouen-
tuum etiam ecclesiasticorum condu-
ctores, qui arrendatarij dicuntur, exi-
stant: ne ve emendi & vendendi com-
mercia tractent. Qui horum duorum
alterutri non obedierit, eandem pœ-
nam subire compellatur.

*Constituti in sacris suspectam fœminarum consuetudi-
nem vitent: quas presbyteri comitari prohibentur.*

Cap. XVIII.

OMNIBUS qui in sacris Ordinibus
constituti sunt, prohibet ~~fœmina~~
Synodus, ne domi fœminas, vnde pos-
sit aliqua mali suspicio oriri, habeant:
quas si admoniti, nō expulerint, in eos
velut contra cōcubinarios ab Ordina-
rijs


rijs procedatur. Ad sacrum autē Presbyteratus ordinē promotis præcipit, ne siue pedestres, siue equestres, fœminas comitentur, nisi fuerit mater, soror, amita, materterā, neptis siue ex fratre, siue sorore, vel consobrina. Qui aliter fecerit, sex libris mulctetur, vel sex diebus carceri addicatur.

Sanctimonialium colloquia non esse frequentanda.

Cap. XIX.

Non decet, præsertim in locis Deo dicatis, à personis ecclesiasticis vel iam scādali occasionem dari : ideo ~~san~~ **Synodus sub excommunicationis pœna illis præcipit, ne Sanctimonialium monasteria colloquendi cū sanctimonialibus gratia frequenter inuitant. Regulares verò in Domino hor-tatur, vt ab huiusmodi monasteriorū monialium frequentatione abstineat.**

Qui



Qui si admoniti nō destiterint, in eos iuxta Tridentini Concilij statuta procedetur. Quod ipsum laicis etiam iubet: quos aliter agentes Ordinarius coerceat, & pro suo etiam arbitrio puniat.

*Lusoriam mensam domi habentes
excommunicantur.*

Cap. XX.

OMnibus tā sacris Ordinibus iniciatis, quām etiam laicis mandat ~~lansia~~ Synodus, ne domi mensam lusoriam, ad quā ludendi gratia frequenter conueniri solet, vulgus tablaje vocat, habere audeant. Qui mandatum transgressi fuerint, excommunicacione latæ sententia deuincentur.

*Clerici peregrini non admittantur
sine litteris dimissorijs.*

Cap. XXI.


Gle

Letie, peregrini ane commendatijs, aut dimissorijs sui Ordinarij literis ad diuina celebranda nō admittantur. Et qui ex Hispaniæ regnis ac prouinciam venerint, intra diuidum annum ab ipsa præsentatione literarum dimissoriarum; qui verò ex remotioribus regnis, intra annum vnum eas renouare tencantur.

Canonicatum dimidie parti ordo presbyteratus sic annexus.

Cap. XXII.

CVm iuxta Tridentini Concilij decretum in omnibus ecclesijs Cathedralibus omnes Canonicatus, ac portiones habere debeant annum ordinem Presbyterij, Diaconatus, aut Subdiaconatus : ita ut dimidia




112

S E C O N D U M

dimidia taltem pars presbyteri in
cateri vero diaconi, aut subdiaconi:
præcipit ~~semper~~ Synodus huius prouin-
ciæ Episcopis, ut cum consilio Capitu-
lii in suis ecclesijs designent, ac em-
buant, ut viderint expedire, quibus ca-
nonicatibus quisque ordo ex sacris an-
nexus in posterum esse debeat: ita ut
dimidiæ parti Canonicatum presby-
teratus ordo annexatur, reliquis vero
diaconatus, aut subdiaconatus. Quod
ipsum si intra annum à fine præsentis
Concilij non fecerint, quingentorum
ducatorum pœnam, quam redimēdis
captiuis iam nunc applicamus, incur-
rant.

*Canonici quo tempore in Capitulum
conuenire non debeat.*

Cap. XXIII.



ECclesiarū tam cathedraliū, quam
collegiatarum Canonici post in-
ceptum

ceptum Missæ maioris officiū in Capitulum minimè conueniant; nec à Choro recedant, donec corporis & sanguinis Domini cōmunio peracta fuerit. Illosq; moneret ~~se~~ Synodus, & magnopere hortatur, ne tempus, ultra quam rei necessitas postulat, in Capitulis protrahant; sed ita omnes temporis partes metiantur, ut & rebus ecclesiæ in Capitulo gerendis tempus non desit, & cultus diuinus in choro nō minuatur.

De habitu in ecclesijs gestando.

Cap. XXXIII.

Prohibet ~~se~~ Synodus, ne in dignitate constituti, Canonici, vel beneficiati in ecclesijs, vbi resident, dum sacra aguntur, maneant, nisi super cellicijs, aut alijs vestibus sibi in ecclesia congruentibus induantur. Alioqui

I mul.



multe duorum argenteorum sint subiecti.

Missa priuata quo tempore diebus Dominicis, & festis colendis celebrari debeant.

Cap. XXV.

Quoniam Missa conuentualis, ad quam omnes olim conuenire solebant, magna celebritate peragenda est: ut debitus illi honor tribuatur, statuit ~~Santa~~ Synodus, ne in diebus Dominicis, & festis colendis à tempore decantatæ Epistolæ usque ad ipsam cōmunionem Missæ priuatæ in ecclesijs celebretur; idq; dum ipsum Missæ officium agitur: tempore enim sacræ cōcionis celebrari permittuntur, sed in loco tantum templi separatiore, & in sacellis secretioribus, nullo tamen dato campanulæ signo, & dummodo id nullus sacerdos in consuetudinē deducat. In ijs tamen ecclesijs, in quibus ho-

rum

gū aliquid seuerius & strictius, quām
hic constitutū est, obseruatur, cum mo-
rem seruari volumus. Qui huic statu-
to non paruerit, duobus argenteis mul-
ctetur.

Distributiones à quibus in Choro percipiendæ sint.

Cap. XXVI.

IN quibuscumque huius prouinciæ
ecclesijs, quo ad eos, quibus distribu-
tiones ad singulas horas, siue quotidie,
ad manum minimè soluuntur, statuit
~~for~~ Synodus, ut aliquis designetur,
qui iureiurando, & aliqua etiam pœna
pecuniaria adstrictus, ipsos absentes
notet: qui de amissis ab eis propter ab-
sentiam distributionibus personæ ad
eam rem deputandæ rationem redde-
re & fidē facere debeat. Ceterū nul-
lus Canonicus, vel Beneficiatus distri-
butiones, seu punctū ad eas habēdas in
Missa lucretur, nisi ante finē Epistolæ

chorum introierit : sed neq; in vesperis, & alijs diurnis horis Canonicis, & matutino etiā officio , nisi ante finem primi psalmi chorū ingrediatur . Qui chorū ingressi fuerint , nō inde exeāt, nisi ex causa, & præside, qui deligetur, potestatem illis faciente . Qui tamen Missam tēpore permisso celebrabūt, distributiones non amittant.

Dignitatum & præpositurarum tertia pars fructuum
in distributiones quotidianas applicatur.

Cap. XXVII.

SAcri Tridentini Concilij decreto inhærens ~~for~~ Synodus , statuit, atque decernit , tertiam partem fructuum , & prouentuum Dignitatum omnium, Personatum, Officiorum, ac Præpositurarum in ecclesijs tam cathedralibus , quam collegiatis huivs Prouinciæ existentium,in distributio

nes quotidianas assignandam & applicandam esse, quemadmodum prælen-
ti statuto iam nunc eam assignat, & ap-
plicat, & assignatam, atq; applicatam
esse declarat. Quæ tertia pars fructuū
inter eos, qui Dignitates ipsas, Perso-
natus, Officia, ac Præposituras obti-
nent, vel obtinebunt, singulis diebus
proportionabiliter diuidatur, quando
Missæ & vesperis personaliter inter-
fuerint. Volens atq; decernens, vt ab-
sentes singulis diebus notentur ab eo,
qui Canonicos absentes notauerit, qui
dierum omnium, in quibus abfuerint,
non aliter quam de diebus, quibus Ca-
nonici absunt, facere solet, rationem
reddere debeat. Quorum dierum di-
stributiones, cum earum propter ab-
sentiam dominium non acquisierint,
iam nunc fabricæ ecclesiæ sint addictæ.

Decernit autē ~~secunda~~ Synodus , tertiam
 illam partem secundū verū valorem
 cōputari debere. Et quod ad prēteritū
 attinet, ex ijs tantū fructibus , quos si-
 tularis obtinet, & in suum vsum cōuer-
 tit, tertia pars in distributiones appli-
 cata esse censeatur: vt intelligatur ter-
 tia pars fructuum applicata deductis
 atq; sublatiis ordinarijs, & extraordina-
 rijs oneribus , & ipsis etiam pensioni-
 bus. In posterū verò tertia pars omniū
 absolutè fructuū, deductis tantūm or-
 dinarijs , & extraordinarijs oneribus.
 Cæterūm obtainentibus in cathedrali-
 bus , vel collegiatis ecclesijs dignita-
 tes , Canonicatus , aut Præposituras
 tribus tātūm mensibus quolibet anno
 iuxta constitutionem Tridentini Cō-
 cilij abesse licet. Tempus verò applica-
 tionis factæ, residētix, & notationis fa-
 cien-

ciendæ post tres menses à die publica-
tionis huius decreti , quæ in ecclesiâ
metropolitana fiet, decurrere incipiat.

*in quibus ecclesijs pars fructuum Canonicis fit
in distributiones applicanda.*

Cap. XXVIII.

IN ecclesijs cathedralibus, in quibus
vel nulli redditus in distributiones
quotidianas ipsis Canonicis sunt appli-
cati, vel adeò tenues, ut nō ea, qua de-
cet, Canonicorū frequētia choro inser-
uiatur, Pr̄lati ex redditibus, & prouē-
ribus Canonicatuū assignationē & ap-
plicationē in distributiones quotidia-
nas iuxta Cōcilij Tridētini decretū in
tra annū à die publicationis huius pro-
uincialis Cōcilij facere tencātur: ac de
huiusmodi assignatione & applicatio-
ne in primo Cōcilio prouinciali ratio
nē reddere. Alioqui quingentorū duca-

I iiiij torum

torū mulcta, quā nunc iam redimēdī
captiuis deputamus, præsenti hoc sta-
tuto illis irrogatur.

S E S S I O Q V A R T A

S V B P I O Q V I N T O P O N T . M A X .

C E L E B R A T A D I E X X I I . M E N S I S

Ianuarij. M. D. Lxvi.



prouincialis Valentia
na Synodus, præsidente in
ea Illustrissimo, ac Reuerē
dissimo domino Martino
Ayala Archiepiscopo Valentino, eo-
rum, quæ ad ecclesiarum, & personarū
ecclesiasticarum gubernationem per-
tinent, materiā prosequens, sequentia
statuta decernēda esse censuit, atq; ea
in hunc, qui sequitur, modūdecernit.

T I T V L I T E R T I I P R O :
secutio de ijs, quæ ad ecclesiarum, & perso-
narū ecclesiasticarū gubernationē spectant.

De co-

QV A. 121
De eorum, qui ad Cathedrales ecclesiast pro-
mouendi sunt, examine faciendo.


Cap. I.

Vm plurimūm intersit, quales Epi-
copi ecclesijs præficiantur; ac pro-
inde ij , qui ad tantum munus promo-
tuendi sunt , de vita, moribus, doctri-
na, & alijs , quæ iuxta sacros Canones
requiruntur , laudabile testimonium
habere debeant , meritò sacrofæcta
Tridentina Synodus statuit, vt in pro-
uincialibus Concilijs modus & forma
præscribatur , qua de his omnibus in
eo, qui ad cathedralē ecclesiā assu-
mendus est, inquisitio , seu instructio
sanctissimi Romani Pontificis arbi-
trio approbanda pro nationis, & popu-
li moribus fieri debeat . Quod ipsum
hæc ~~sc~~ prouincialis Synodus ma-
terè considerans , sequentem huius

I v exami

examinis & instructionis formā huic
 Prouinciae pro populi qualitate conue-
 nientem magis esse iudicauit: nempe
 tut ut facta personae alicuius ad ecclesiam
 cathedralēm electione, seu præsen-
 tatione, Electus ipse, siue presentatus Se-
 dis Apostolicę Legatū, vel Nuncium,
 vel certè proprium suum Ordinariū,
 vel illū, in cuius diœcesi diu multūq;
 sit versatus, cū ipso electionis, seu præ-
 sentationis testimonio quamprimum
 adeat: qui quidē Pralatus & ab ijs te-
 stibus, quos ei Electus proponet; & ab
 alijs, quos bonos, graues, ac fide dignos
 ipse deliget, publico, ac etiam secreto
 scrutinio de Electi qualitatibus dili-
 genter inquirat: an scilicet sit legitimi-
 mo matrimonio natus, qua ætate, qui-
 bus moribus, quam prudens, & an in
 sacro Ordine sex saltē mensiū spa-
 cio

cio sit iam constitutus: qui in Vniuer-
sitate studiorum, quæ nulla hæresis
suspicio tunc laboraret, arduo præ-
cedenti examine iuxta illius Vniuer-
sitatis statuta Magister, siue Doctor,
aut Licētiatus in sacra Theologia, vel
iure Canonico merito sit designatus,
ac declaratus: aut publico alicuius A-
cademiæ testimonio idoneus ad alios
docendos ostendatur: quod quidem te-
stimonium graui aliquo in Theolo-
gia, aut iure Canonico, iuxta illius A-
cademiæ morem, præcedenti exami-
ne, dari illi debeat. Cùm verò testante
scriptura, septies in die cadat iustus, nō
æquum fuerit, de quibuscumque deli-
ctis in vniuersum inquisitionē ipsam
fieri, sed de publicis tantū, & quibus ce-
teri scandalo offendūtur, ac de ijs etiā,
quæ in prauā consuetudinem abierūt.
Cæterū si is ad ecclesiā Cathedralē




assumendus sit, qui ad aliam cathedra-
lem fuit iam prius promotus, de quo
iam tunc huiusmodi examen, & disqui-
statio facta sit, sat fuerit, de duobus tan-
tum inquisitionem fieri, num scilicet
priorem ecclesiam recte administraue-
rit, & an vitæ exemplo clarus & conspi-
cuus extiterit. Deniq; cum Prælatus
hanc inquisitionem peregerit, eam in
instrumentum publicum redactā cū
toto testimonio, ac professione fidei
ab ipso Electo facta quamprimum ad
sanctissimum Romanum Pontificem
omnino transmittendam curet: ne ec-
clesia longo tempore Pastore destitu-
ta, detrimēta patiatur: & ut hac etiam
ratione summus ipse Romanus Pon-
tifex ecclesijs sancte, atq; utiliter pro-
uidere possit.

Parochiali ecclesia vacante, per edictum publicum vocandos esse, qui ad eam obtinendam examinari voluerint.

Cap. II.

Voties parochialis ecclesia, vel per obitum, vel per resignationem *laetitia* vacauerit, ut idoneus aliquis & dignus *fratii* ei prefici possit, sancta hæc prouincialis Synodus animarum saluti magis expedire censuit, ut per edictum publicum, qui ad eam parochiale obtinendum voluerint examinari, vocentur. Quod ipsum edictum in valuis ecclesiæ maioris, & ubi ecclesia ipsa vacauerit, & alio etiam loco, qui ad eam rem commodus pro arbitrio Ordinarij magis iudicabitur, affigatur. In quo quænum parochialis ecclesia vacet, significetur; & quindecim, vel pauciorum diecum terminus pro ipsius Ordinarij iudicio constituatur, intra quos qui examen



men ipsum subire voluerint, accedere teneantur. Quoniam verò animarum cura onus est à quibuscumq; etiā idoneis maximè formidandū, intelligant qui accessuri sunt, quanta animi synceritate, quamq; nihil de se elatè & arroganter sentientes Prælatis sese offerre debeant. Qui ecclesiæ tantùm utilitatem, non autem sua cōmoda sibi proponant: neq; aliud eorum aliquis apud se statuat, quām vt si dignus repertus fuerit, ecclesiæ præficiatur; sin minus, alijs libenter cedat. Cæterū si peracto presentationis termino, nullus accesserit, poterit tunc Ordinarius pro suo arbitrio ecclesiæ, vt magis expedire viderit, prouidere.

Archidiaconatus quibus conferendi sint.

Cap. III.

Cum

Vm iij, qui morum grauitate, & li- *pollas*
terarum scientia præcellunt, præ- *et f.*
stantioribus ecclesiæ beneficijs deco- *.. vi*
taridebeat, neq; alijs iustè illa conser- *..*
vi poisint, quā ijs, qui muneri suo præ- *in p.*
clarè respondere valent; ~~Contra~~ Syno-
dus intelligens Archidiaconorum di-
gnitatem in ecclesijs insignem esse, ad
cuius functionem, vt iura docent, mul-
ta exigantur, quæ sine literarum peri-
tia minimè præstari possunt; Concilij
etiā Tridētini decretū ea in re secuta,
statuit, vt nemo in posterū ad quem-
cūq; Archidiaconatū in huius prouin-
ciæ ecclesijs promoueatur, qui non fue-
rit in aliquā studiorū Uniuersitate, quo
~~nulla heresis sufficiens sic laboraret,~~
~~ut in precedenti examine, iuxta Uni-~~
~~ueritatis illius statu magister, seu do-~~
ctor, vel licentiatus in Theologia, aut
iure

iure canonico designatus, & nominatus. ~~Capitulis verò non licet aliter~~
~~quam iuxta huius statuti formam ali-~~
~~quic ad alicuius Archidiaconatus pos-~~
~~sessionem admittere.~~

~~Canonice tunc sicut vicaverint aliter, quim per~~
~~resignationem, quibus conferri debeant.~~

Cap. IIII.

~~et episcopis~~ ~~I~~ ~~Ortatur sacro sancta Tridentina~~
~~flatus~~ ~~Synodus, ut in prouincijs, ubi id~~
~~commodè fieri possit, ex Canonicati-~~
~~bus dimidia saltus pars in cathedrali-~~
~~bus ecclesijs, & collegiaris insignibus.~~
~~Magistris tam, vel Doctoribus, aut~~
~~etiam Licentiatis in Theologia, vel in~~
~~re Canonico conferatur. Cumq[ue] hac~~
~~prouincia viris Theologia, & iuris Ca-~~
~~nonici peritis abundet, ac proinde ita~~
~~bortatio in ea cōmodissimum locum~~
~~habeat, sancta hat Synodus statuit, in~~
~~eccl[esi]a~~

eccl[esi]s huius Provinciae cathedrali-
 bus dimidiā Canoniciarum partē,
 quādo aliter, quām per resignationem
 vacauerint, ijs tantū, qui prædictis
 Theologia, vel iuris Canonici titulis
 insigniti fuerint, conferri debent: ita ut
 Canonicatus primū vacatus ma-
 gistro, seu doctori, vel licentiatō in
 Theologia, aut iure canonico, qui po-
 tentiarij munus exerceat, iuxta Tri-
 dentini Concilij constitutionem con-
 feratur. Secundō verò vacatus libe-
 rē alijs etiam, quām doctori, vel licen-
 tiato conferri possit. Qui tertio verò
 loco vacabit, promoto ad aliquem ex
 prædictis gradibus conferri tantū de-
 beat: atq[ue] ita alternis vicibus fiat, donec
 dimidia saltē Canonicatum pars
 ijs, qui ad aliquem ex prædictis gradi-
 bus concenderint, fuerit collata. Qui

quidem Canoniceatus, ubi semel fu-
 rent magistris, doctoribus, vel licentia-
tis in prædictis facultatibus collati, nō
 alijs in posticum, quæcumque modo
 vacuuunt, conferantur, quām ijs, qd
 ad aliquem ex supradictis gradibus fu-
 rent promoti. Orat autem sancta haec
 Synodus, quoad potest, sanctissimum
 Romanum P̄tificem, ut prafens hoc
 decretum, quod singulari bencuolen-
 tia, & amore erga viros literatos, &
 Tridentinæ etiam Synodi hortatione
 statuendum esse duxit, confirmare di-
 gnetur. Cui si ea in re huic Synodo gra-
 tificari minime yisum fuerit, cuncta
 dem Synodus huius provincie Prale-
 tes hoc decreto ligare non intendit.
 Sed ad eò liberam omnium Canonica-
 tum collationem relinquit, ac si pra-
 sens decretum omnino adicatum non
 fuisset.

Exqui

*Exquisita & noua festa non esse cele-
branda.*

Cap. V.

SVNT qui exquisitas, ac nouas festo-
rum appellationes contra quam Ca-
lendarij series, & approbata in Ecclesia
consuetudo habeat, inuenire solent:
quem abusum improbans ~~sancta~~ Sy-
nodus, statuit, ne eiusmodi festa à Ca-
pitulis, vel parochis celebranda ad-
mittantur. Qui non paruerint, sexli-
brarum mulæ sint subiecti; & fructus
quos pro celebratione similium festo-
rum receperint, suos minimè fa-
ciant.

*Que dupla, & quibus diebus admitti non
debeant.*

Cap. VI.

CVM iuxta patrū statuta & cōsuetu-
dinē ordo vñus, ac constās in officiorū
celebratione esse debeat: ex multis autē

K ij festo-

festorum duplis, quæ contra Calenda
rij ordinem in quibusdam huius pro-
vinciæ ecclesijs admitti aliquando so-
lent, magna in diuinis officijs celebrâ-
dis in vna, eademq; diœcesi, & ciuitate
varietas ac perturbatio soleat accide-
re; ne Calendarijordo in Missis cōuen-
tualibus, & horis Canonicis in choro
dicendis varietur, omnibus huius pro-
vinciæ ecclesiarum tam cathedralium,
quam collegiatarum Capitulis præci-
pit ~~fanum~~ Synodus, ne duplam aliquā
contra Calendarij feriū tempore, quo
Missa conuentualis, & horæ canonicae
celebrari solent, diebus ullis celebran-
dam admittat, quod ipsum in ecclesijs
parochialibus diebus Dominicis, & fe-
stis colendis seruari etiā debere decer-
nit. Reliquis enim diebus duplā in eis
admitti indulget, dummodo Missa cō-

uentualis, vbi ea dici de more consuevit, saltē priuatim celebrari non omitteratur. Capitulum non obediens quinq̄inta aureis; reliqui verò qui in parochialibus ecclesijs contra hoc statutum fecerint, viginti multentur. Si quæ verò huiusmodi duplæ sint iam admissæ, vel Ordinarius eas in alia suffragia commutet, quæ animabus illorum, qui hæc legata reliquerunt, sint satisfactaria; vel certè alio tempore, quam quo Missa conuentualis, & horæ canonicae in choro dici solent, celebrari debant.

Deambulationes in templis prohibentur.

Cap. VII.

CVm scriptum sit, domus mea dominus orationis vocabitur: cupiens ~~falsa~~ Synodus, deambulationes, quæ in templis, dum sacra celebrantur, ma-

K iii gno

gno rerum diuinarum contempi-
rflunt, remouere; præcipit sub excom-
municationis pœna, ne tempore Mis-
sæ maioris, vel dum sacra concio ad po-
pulum habetur, huiusmodi deambu-
lationes in templis fiant. Canonicis
autem & Rectoribus iniungit, vt ad
eas prohibendas, quoad poterunt, mi-
nisterio alicuius personæ ad id de-
putandæ officium suum accommo-
dent.

*Qui ad ecclesiam confugerint, ne ultra dies nouem
in ea permaneant.*

Cap. VIII.

Quoniam templo quæ diuino cul-
tuidicata sunt, quantum fieri po-
test, pura atque expurgata esse opor-
tet, decreuit ~~lætitia~~ Synodus, ne qui ad
ea confugerint, si nulla contentio de
immunitate agitatur, ultra dies no-
uem

uem in eis manere permittantur. Intra quos si vel in ipso templo inquietè vixerint, vel crimen aliquod in eo, vel extra ipsum commiserint, citò excludantur.

Quæ sapient Gentilitios ritus è templis remouenda.

Cap. IX.

NE in Christianorū templis aliquid inspectari possit, quod Gentilitios ritus sapere videatur, prohibet ~~sancta~~ Synodus, ne in editis atque conspicuis templorum locis militaria vexilla, aut phaleræ pendeant: ne ve galeæ, aut scuta promincent. Si quæ verò nunc extant, intra dies quindecim à publicatione præsentis statuti remoueantur.

Non esse Sanctorum reliquijs abutendum ad quæstum.

Cap. X.

K iiii

Quo-



Quoniam Sacerdotum reliquijs, qui-
bus meritò honorē & veneratio-
nem debemus, aliqui non paruo multo
rum scandalo ad quæstum abutuntur;
sacri etiam Tridentini Concilij decre-
to, quo in reliquiarum veneratione o-
mninem turpem quæstum eliminari de-
bere patres statuerunt, ~~santa~~ Synodus
insistens, præcipit sub excommunica-
tionis pœna, ne in templis, etiam mo-
nasterijs, reliquiæ sanctorum extra ip-
sum altare educantur in locum, ubi ad
quæstum populo sint propositæ. Quod
si aliqui etiā regulares deuotionis gra-
tia eas ad infirmos detulerint, quod fa-
cere non debent nisi vocati, nihil eis da-
re, neque ipsis ob id intuitu etiam elec-
mosynæ aliquid recipere sub eadem
excōmunicationis pœna liceat. Et quia
omnia, quæ speciem superstitionis ha-
bent,

bent, repellenda sunt, prohibet, ne vi-
lles imagines sanctorum filis, aut re a-
lia metiatur, ut huiusmodi imaginum
mensuræ ad infirmos perferantur: ne
ve hostiæ, in quibus nonnulla scribiso-
lent, ægrotis præbeantur. Hæc enim à
superstitiosi cultus specie nō sunt alie-
na.

Vigiliæ publicæ in templis interdicuntur.

Cap. XI.

CVm domum Dei nihil non sanctū
deceat, perpendatq; ~~santa~~ Syno-
dus, ex ijs vigilijs, que multorum con-
cursu in monasterijs, alijs ve templis,
seu Oratorijs publicis fiunt, multas
scandali occasiones oriri, & aliquando
ex ijs etiam templo profanari contin-
gat, omnibus huius prouinciæ subditis
in virtute sanctæ obedientiæ, & sub ex-
communicationis pœna mandat, ne ad

K v

templa

templa ad huiusmodi publicas vigilias agendas se conferant, aut eis ullo modo intersint.

Processiones è Monasterijs extra septa ne egrediantur.

Cap. XII.

STatuit ~~fan~~ Synodus, ne è monasterijs processiones sacrosancti corporis Christi, aut Assumptionis beatæ Mariæ, vel aliæ extra Monasteriorum septa per vicos fiant. Neque parochis licet huiusmodi processionibus interesse. Parochus qui non paruerit, quadraginta solidis: Presbyteri vero singuli solidis decem multantur. Hoc etiam prohibetur, ne regulares extra Monasteria ad sepeliendos defunctos crucem deferendo in processione progressiantur.

De pijs operibus in suffragium animarum implendis: & de Missis, que in Parochijs in fine anni celebrandæ supersunt.

Cap.

Cap. XIII.

NEpiæ testantium voluntates de-
pereant, neque ipsorum animæ de-
bitis suffragijs fraudulentur, præcipit
~~for~~ Synodus, Missarum celebratio-
nem, & alia pia opera, quæ testamentis
mandantur, saltem intra annum vnū
post testamenti publicationem imple-
ri. Quin etiam Curatis omnibus, & ra-
tionum ecclesiasticarum Præfectis,
quos Rationales vocamus, iubet, vt
singulis annis Ordinario, aut eius Vi-
cario, seu Visitatori exponant, quantus
Missarum nondum celebratarum nu-
merus in ipsorum parochijs supersit:
vt Ordinarius quid ea in re agi debeat,
possit mature statuere. Qui non parue-
rit, trium librarum multæ sit subie-
ctus.

arum Unionum acta Ordinario ostendi debeant.
Cap. XIV.

Quo-

Quoniam vniōnes perpetuae à qua draginta annis citra factæ, iuxta decretum Tridentini Concilij ab Ordinarijs tamquam à Sede Apostolica delegatis examinari possunt, iubet sancta Synodus, ut intra sex mēses omnium huiusmodi vunionum tituli & acta ad Ordinarium deferantur. Si secus factū fuerit, ab Episcopis iuxta Tridentini Concilij statutum procedatur.

Confraternitatum statuta Ordinario comprobantur esse.

Cap. X V.

Omibus quarumcumque Confraternitatum Prioribus & Præfetis mandat sancta Synodus, ut intra trium mensium spacium suæ Confraternitatis constitutiones & statuta ad Ordinariū deferant: ut possit ipse Ordinarius intelligere, num corum au-

quod

Quod minus rectum sit, & an debita au-
toritate sint cōfirmata. Quod examen
gratis fieri debere, decreuit ~~facta~~ Sy-
nodus. Si transacto prædicto termino,
minus paruerint, ministerijs & exerci-
tijs Confraternitatum in ecclesijs vti-
non permittantur.

~~Ne poffatio beneficiorum conforatur, ante quam Ordinarii literas fine fronde impetratis effe intellexerit.~~

Cap. XV.

~~E~~Vm aliquando accidat literis sub-
~~reptis impetratis, & ijs etiam~~
~~qualitatibus, quas Tridentinum Con-~~
~~cilium in Beneficiatis requirit, ali-~~
~~quando dolo confictis, aliquos ad di-~~
~~gnitarum, Canonicarum, Persona-~~
~~m, Beneficiorum curatoruni, vel~~
~~etiam simplicium possessionem in-~~
~~consulto Prelato admitti, statuit ~~facta~~~~
~~Synodus, ne in posterum in hac~~

pro-

~~provincia dignitatis alicuius, Canonicatus, Personatus, Beneficij curati, vel simplicis quarumcumque literarum vigore, alio ve quocumque pretextu, alicui persona cuiuscumque conditionis existat, possessio conferatur, nisi prius litera provisionis eorum Ordinario presentata fuerint. Ipse vero Ordinarius rc, quam brevissime fieri poterit, examinata, simul atque nullam subesse fraudem intelliget, possessionem dari iuxta literarum seriem citissime mandet. Qui huic decreto non obedierit, medietate fructuum unius anni dignitatis, Canonicatus, Personatus, Beneficij curati, vel simplicis, cuius possessionem fuerit adeptus, priuatus existat. Subexecutor vero & Notarius excommunicationis sententiam ipso facto incurant; & Subexecut~~

forfureos centū, Notarius vero quin-
quaginta perfoluant.

De locis Parochiali ecclesie annexis.

Cap. XVII.

C O ntingit aliquando loca quædam
ex paucis rusticāis domib⁹ initio coagmentata, & Parochiali alicui
ecclesiæ annexa, in tantum postea do-
morum numerum excrescere, ut non
solūm ob loci distantiam, sed propter
plebis etiam multitudinem vix possit
parochus Sacramenta illorum incolis
ministrare. Vnde cùm ex his annexis
locis primitias Curati recipiant, plebs
tamē Sacramentorū administratione
fraudetur, statuit ~~facta~~ Synodus, ut
in huiusmodi locis annexis, quæ iā in
cōpetentē magnitudinē sunt aucta, Or-
dinarius quemadmodū viderit expedi-
re, Presbyterū constituat, qui illorum
locorum incolis Sacramēta ministret:
cui

cui ex ipsius annexi loci fructibus, pri-
mitijs, vel redditibus commodum, ac
sufficiens stipendium decernat. Quan-
do vero ecclesiam illam parochialecm,
cui locus annexus est, vacare contige-
rit, Ordinarius locum annexum, si eius
fructus, salua competenti ecclesiæ ma-
tricis dote, sufficienes fuerint, ab ipsa
ecclesia matrice pro suo arbitrio sepa-
ret, & in parochialecm ecclesiæ erigat.

Ex ecclesiis fructibus ad diuinum cultum, ex Sacra-
mentorum administrationem ipsiæ ecclesiæ
effe prouidendum.

Cap. XVIII.

Lat. **Q**uemadmodum æquum est eos,
qui spiritualia fesinant, carnalia
metere: ita ijs, qui carnalia tribuunt,
spiritualia iuste negari non possunt.
Cumq[ue], iuxta Tridentini Concilij sta-
tuta in ecclesijs parochialibus, in qua-
bus

bus populus ita numerosus est, vt
nisi Rector non possit Sacramentis ec-
clesiasticis ministrandis, & cultui dini-
no peragendo sufficere, cogendus ille-
sir ab Episcopis, tot sibi ministros ad
hoc munus adiungere, quo ad Sacra-
menta ministranda, & cultum diuinum
celebrandum sufficiente: perpendat au-
tem sancta Synodus, fructus & reddi-
tus parochialium ecclesiarum in hac
provincia ita aliquādo alicui personæ,
vel Monasterio, seu Collegio, sur cō-
munitati in totum, seu in maiorē co-
rum partē reseruatos, vniros, sur quo-
cumque modo assignatos esse, vt Re-
ctor muncri suo satisfacere nequeat;
cos verò quibus fructus reseruatissime,
vniro, vel quomodo cumque assignati,
ita curam animarum negligere, vi ne-
que huic ecclesiarum necessitatibus consu-

ac, neque etiam ab Ordinariis quam-
diu fructus ipsos, vel maiorem eorum
partem illi retinent, consuli possit. me-
rito eadem sancta Synodus huic ecclae-
fiarum necessitati succurrere volens,
& decretis Concilij Tridictini insistes,
statuit, ut, si facta hac fructuum referua-
tione, unione, vel assignatione, fructus
sive redditus, qui titulari super sunt, ad
hac necessaria obsequia ecclesiae impo-
denda minimè sufficient, vel quia ec-
clesia populo sa est, & pluribus ministris
indigeret; vel quia forte locum aliquem,
vel loca annexa habet, qua nisi noui
ministri in eis constituantur, necessaria
Sacramentorum administratione frau-
dabuntur, ex ipsius ecclesia parochialis
fructibus particulari alicui personae,
Monasterio, Collegio, vel communi-
tati cuicumque reservatis, seu quoniam
doliber

~~dolibet cī p̄tinentib⁹, tantam por-~~
~~tionem vel augendo in ipsa ecclesia~~
~~matrice, si opus fuerit, ministrorum~~
~~nūmero, vel nouis ministris in loc⁹,~~
~~vel locis annexis, si id nccesitas postu-~~
~~labit, confitaēdis Ordinarius assignet,~~
~~vel applicet, vt tam ipsi ecclesiæ matri-~~
~~ci, quām locis annexis recte prouidea-~~
~~sur. Sic enim animarum salui, cuius~~
~~in primis ratio haberi debet, poterit ab~~
~~Ordinariis recte esse consultum.~~

*Quæ parochiales ecclesiæ liberentur onere ad
matrices ecclesiæ eundi, ut processio-
nibus interfint.*

Cap. XIX.


CVm sacra Concilia in hunc e-
tiam finem congregentur, vt sub-
ditorum odia, dissensiones, ac lites se-
dari valeant; cupiatq; ~~fons~~ Synodus,
ecclesiārū huius prouinciæ discordias

L i tollere

tollere, quò tranquillius Deo, qui pacis est autor, in eis deseruiatur: intelligens huius prouinciæ oppida quædam vel loca, cùm exigua initio ac tenuia essent, postea tamen in eam magnitudinem excreuisse, ut ab ecclesia matrice separata, in ecclesias parochiales iam sint erecta; quæ in ipsa eorū separatione ad paœta quædam seruāda adstricta fuerant, quæ vix commodè seruari iam possunt; quale erat, in festo corporis Christi, vel Assumptionis beatæ Mariæ oppidis suis, aut locis relictis, cum cruce & cappis ad matricem ecclesiam, ut sacræ processioni interessent, ire: stauit, si ea oppida, vel loca iam in parochiales ecclesias erecta eiusmodi sint, ut in eis corporis Christi, aut alterius festi processio decēter fieri queat, quod ipsum iudicio Ordinarij relinquitur.

iam

iam nunc onere illo , seu obligatione
 ad matricem ecclesiam cum cruce &
 cappis prædicto festo , vel festis eundem ,
 vt processioni intersint , eximenda & li-
 beranda esse , quemadmodum præsenti
 decreto ea eximit ac liberat : corumq;
 incolis concedit , vt in ipsis suis oppi-
 dis , vel locis prædictas processiones fa-
 cere possint ; & ne ab ulla perturben-
 tur , præcipit : non obstantibus statutis ,
 consuetudinibus , conuentionibus , & a-
 lijs quibuscumque : his enim omnibus
~~statutis~~ Synodus derogat . Si quæ verò li-
 tes coram huius prouinciæ Ordinarijs
 super prædictis ortæ fuerint , sintq; ad-
 huc indecisæ , illas omnes ad se sancta
 Synodus euocat , præsentiq; hoc statu-
 to cassat , & extinguit : ac partibus perpe-
 truum silentium imponit .



~~De iudicibus delegatis limites sui mandati excedentibus.~~

~~Cap. XX.~~

~~iee~~ ~~llla~~ ~~i v.~~ ~~Q~~ ~~Voniam experimento aliquando didicimus, iudices aliquos delegatos ita potestate sua abuti, ut limites sui mandati excedentes, excommunicationis etiam & interdicti censuras temerè imponere non vercantur. unde non parua incommoda, & scandala eriri solent. Cumq; iuxta utriusq; juris dispositionem fines mandati diligenter seruandi sint, nemoq; sine iurisdictione, & potestate huiusmodi actus exercere possit, statuit sancta Synodus, si quando constiterit, iudices delegatos cuiuscunq; dignitatis, seu praeminentia fuerint, in huiusmodi actibus exercendis, mandati sui limites excede-re, ne tunc excommunicationi, qua si intulerint, aliquid deferatur: neve ter-~~

~~serdictum, quod imposuerint, à Capitulis, vel Parochis admittatur, nisi cōfulto prius de ea re Ordinario. Capitu-~~
lum non obediens sex librarum, parochus verò duarum mulētam subire ~~compellātur. Excommunicatio verò,~~
~~que pro r̄chis deperditis, vel furto sub~~
Laris ferrisolet, non ab alio, quā ab ipso Episcopo, vcl de eius facultate, iuxta Tridentina Synodi statutum decerna
tur.

Iudices seculares qui personas Ecclesiasticas in carcerem trahunt, excommunicati declarantur.

Cap. X XI.

Vdicum quorundā seculariū audaciā improbans ~~Sanctissima~~ Synodus, qui personas ecclesiasticas in carcerem trahere, & ibidem sua autoritate retinere audent, præcipit, ne aliquis secularis iuxa, vllum, qui in Sacris Ordinibus

L iiii con-

constitutus sit, capere, aut captum aliquo tempore retinere præsumat: sed si fortè ipsum proprio mutato habitu, in aliquo criminе repererit, simul atque eum sacris ordinibus initiatum esse intelliget, ad eius Superiorēm deferat. Quod si tempus ad id opportunum nō fuerit, tantisper solummodo pro Superiorē eius ipsum custodiat, idq; decen-
ti loco, & absq; omni alia molestia, do-
nec ad illum deferre ipsum possit. A-
lioqui sententiā excommunicationis,
quæ capite, Si quis suadēte diabolo, in
eos infertur, qui manus violentas in
Clericos iniecerint, ~~sancte~~ Synodus cū
incurrisse declarat.

Nouitiæ quomodo ante professionem sint
ab Ordinario examinandæ.

Cap. XXXII.

ANequam professionem emittat
quæ in Religionē Nouitia est, iux-
ta

ta Concilij Tridentini decretum debet Episcopus, vel eo impedito eius Vicarius, vel aliquis ab eis deputatus illius voluntatem explorare, an coacta, an seducta fuerit, & an sciat quid agat. Ut igitur rectius, & maiori eius libertate hęc probatio fiat, pręcipit ~~bona~~ Sy nodus, huiusmodi examen apto, & decenti loco, in quo nihil à Sanctimonia libus, vel alijs audiri possit, debere fieri. Et quoniam ~~bona~~ codē Concilio Tridentino statuente, ut hac etiam ratione ipsius Nouitiæ libertati magis consulatur, ante eius professionem Monasterio dari nō debet, decernit, ab Episcopo, vel eius Vicario, aut ab eis deputato hoc etiam explorandum esse, an scilicet Monasterium antequam Nouitia professionem emittat, ~~bona~~ ipsam ceperit. Porrò circa viatum & vesti-

rum eius, quæ nondum est professa,
dispositio Concilij Tridentini serue-
tur.

Ab Episcopis & regularium superioribus statuta Tri-
dentini Concilij de regularibus edita, in monasterijs
iporum curæ subiectis esse seruanda.

Cap. XXXII.

Quoniam tam Episcopi in mona-
sterijs sibi subiectis, vel speciali-
ter commissis, quam Abbates, Gene-
rales, alijq; ordinū Superiores ea, quæ
de regularibus siue viris, siue mulieri-
bus in sacro Tridentino Concilio sta-
tuta sunt, executioni mandare debent,
ita ut Episcoporum negligentiam Cō-
cilia Prouincialia suppleant, & coēr-
ceant; regularium vero Capitula Pro-
uincialia & Generalia; & in defectum
Capitulo sum Generalium Concilia
Prouincialia per deputationē aliquā
rum

Q V A R T A.

rum eiusdē ordinis prouidere debeant: idcirco ~~lata~~ Synodus huius prouinciæ Episcopos, necnon Abbates, Generales, aliosq; ordinū Superiores in Domino hortatur, vt si forte in aliquibus monasterijs tam virorum, quam sanctorialiū eis subiectis vetus ac regularis disciplina collapsa fuerit, omnia iuxta Tridentini Concilij statuta, quę de regularibus sancita sunt, pro sua prudentia instaurent, ac moderentur. Episcopi qui in monasterijs sibi subiectis præsens decretum non seruauerint, ducentorum aureorum multe subijciantur. Regulariū verò Superiores, si suo muneri hac in parte defuerint, suaq; monasteria ad decretorum Tridentini Concilij normam minimè reformauerint, iuxta eiusdem ipsius Tridentinæ Synodi constitutionem coram

corum negligentia coērceri, atq; sup-
pleri diligenter curabitur.

SESSIO QVINTA

ET VLTIMA, SVB PIO QVIN-
TO PONT. MAX. CELEBRATA DIE
xxvij. mensis Februarij.
M. D. Lxvj.



VT huius prouinciæ populus
sanctis legibus institutus,
Deo fideliter seruiat, eiusq;
mādata faciliūs exequatur,
Legea Prouincialis Valentina Syno-
dus præsidente in ea Illustrissimo ac
Reuerendissimo domino Martino A-
yala Archiepiscopo Valentino, sequē-
tia hæc statuta, quæ potissimum ad po-
pulum gubernandum, & in officio reti-
nendum

QVINTA

nendum pertinent, sancienda ac promulganda esse decreuit.

¶ TITVLVS QVARTVS

de iis, quæ communiter ad populigubernationem spectant.

De festis in hac provincia colendis.

Cap. I.

Dies festi in hunc finem institutos esse constat, ut in eis ab omni opere seruili abstinentes, rebus diuinis toti incumbamus. Quare grauiter ferens ~~facta~~ Synodus esse quosdam, qui hæc parum curantes, sacros dies à reliquis minimè distingunt, dum alij laborantes manibus, alij verò prauis ac sceleratis operibus hisce diebus se se magis implicates, debitum honorem festis subtractahunt; ut in posterum ipsi dies festi cœtiūs obseruari possint, & populus corum

SESSIO

corum multitudine minimè prægraue-
tur, statuit illorum festorum catalo-
gum describere, quæ ex ipsius Synodi
mandato in tota hac prouincia ab o-
mnibus coli debet. Ea autem sunt quæ
sequuntur.

Circuncisio Domini.

Epiphania.

Sebastianus Martyr.

Vincentius Martyr.

Purificatio beatæ Mariæ virginis.

Matthias Apostolus.

Annunciatio beatæ Mariæ virginis.

Marcus Euanglista.

Philippus & Iacobus Apostoli.

Inuentio sanctæ Crucis.

Barnabas Apostolus.

Natiuitas sancti Ioannis Baptista.

Petrus & Paulus Apostoli.

Iacobus Apostolus.

Trans-

Q V I N T A .

Transfiguratio Domini.

Laurentius Martyr.

Asumptio beatæ Mariæ virginis.

Bartholomæus Apostolus.

Natiuitas beatæ Mariæ virginis.

Matthæus Apostolus.

Dedicatio Michaëlis Archangeli.

Lucas Euangelista.

Simon & Iudas Apostoli.

Festum omnium sanctorum.

Andreas Apostolus.

Conceptio beatæ Mariæ virginis.

Thomas Apostolus.

Natiuitas Domini.

Stephanus Protomartyr.

Ioannes Apostolus & Euangelista.

Resurrectio Domini cū feria 2, & 3.

Ascensio Domini.

Festum Pentecostes cum feria 2, & 3.

Festum corporis Christi.



Festa

Festa verò sanctorum, qui ciuitatis,
aut loci sunt patroni, arbitrio Ordina-
rij; quæ verò ciuitatis, vel loci voto co-
lenda esse dicuntur, præcedente Ordi-
narij examine colâtur. Et quia non de-
sunt, qui vix alia ratione, quam metu
pœnae à malo prohiberi possunt, ideo
~~fons~~ Synodus ijs, qui horum festorū
aliquid non coluerint, quatuor solidi-
rum pœnam imponit.

De præcepto audiendi Missam.

Cap. II.

Dent operam omnes Christi fide-
les, ut præceptum Ecclesiæ, quo
diebus Dominicis, & festis colendis
Missam audire tenentur, sedulò im-
pleant: sciantq; cùm decimum quartū
annum attigerint, se iam obligatione
huius præcepti deuinctos esse: quos hor-
tatur ~~fons~~ Synodus, ut ad suas pa-
chias


chias, quòd sint in eis ut plurimum
sacro fonte regenerati, & salutaria Sa-
cramenta inde recipiant, ac in ipsis etiā
pro eis speciatim oretur, diebus saltēm
Dominicis & festis maioribus ad Mis-
sam conuentualem attentē ac deuotē
audiendam accedant.

*Non esse pietatis prætextu violandum præceptum
de colendis festis.*

Cap. III.

Non desunt, qui pietatis causam
præ se ferentes, interim tamen Ec-
clesiæ mandata transgreduntur, quem
abusum auferre cupiens ~~seneca~~ Syno-
dus, præcipit, ne ullus quocumq; in lo-
co etiam sacro diebus Dominicis aut
festis colendis aliquid seruilis operis fa-
ciat absq; Ordinarij, vel Officialis eius
racultate. Quinetiam iubet, ne ullus
eisdem Dominicis, aut festis diebus è
iuitatibus, oppidis, locisve alijs ali-

M quò




quò proficiscatur, quin Missam prius
audierit; nisi in eum locum se conferat,
in quo eam sit auditurus. Quam si non
audiat, velut præcepti ecclesiastici
